DE

RHIANI CRETENSIS

STVDIIS HOMERICIS

SCRIPSIT

(Friedrich Theodor)
CAROLVS MAYHOFF

COMMENTATIO EX PROGRAMMATE GYMNASII VITZTHVMIANI
DRESDENSIS ANNI MDCCCLXX SEORSVM EXPRESSA

LIPSIAE
IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI
MDCCCLXX

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEVBNERI

MAVRICIO SCHMIDTIO

PRAECEPTORI SVO

D · D

AVCTOR

Homericis in studiis procedi recte non posse nisi recognitis et perspectis quaecunque in Homero et emendando et interpretando iam grammatici Alexandrini praestiterint, F. A. Wolfius inmortalibus suis ad Homerum prolegomenis tam evidenter demonstravit, ut inter homines doctos hodie vix quisquam, qui infitiari audeat, reperiatur. Quapropter in Alexandrinorum doctrina eruenda et renovanda proxima post Wolfium aetate magnam philologi ostenderunt sedulitatem, cum alii grammaticorum libros ineditos ex bibliothecarum umbra protraherent, alii scholiastarum adnotationes atque Eustathii aliorumque commentarios novis curis emendata ederent, ii denique, qui Homeri editiones ad criticam rationem revocatas pararent, ingentis illius apparatus diligenter pertractandi operosum susciperent laborem, ut inde ad genuina poetae verba restituenda quam plurimum lucrarentur. Sed multo etiam maiora incrementa ceperunt haec studia, ex quo tempore K. Lehrsius libro illo de Aristarchi studiis Homericis, qui omnium laude et admiratione celebratur, quantum novae et frugiferae scientiae ex scholiis curiosissime pervolutatis elici posset, declaravit et viris doctis hoc potissimum proposuit, ut consimili ratione singulorum Alexandrinorum memoriam, quae quasi sepulta iaceret in vasta scholiorum congerie, resuscitarent et in lucem reducerent. Quo in labore perficiendo haud paucos huius aetatis philologos videmus multum laboris et operae consumpsisse, atque iam prodierunt in lucem de Aristophane Byzantio, Callistrato, Zenodoto, Herodiano, Nicanore, Aristonico, Didymo, Porphyrio, Seleuco Homerico, Tryphone, Philoxeno, Apollonio Rhodio, Cratete Mallota, multis aliis grammaticis commentationes doctae et libri laboriosi, quorum tanta est in re publica litteraria celebritas, ut enumerandi opera supersedere possim.

Quamquam autem consociatis tot eruditorum hominum studiis Alexandrinae quam vocant aetati mirum quantum lucis oblatum est,

supersunt tamen nonnulli grammatici, minoris illi quidem et famae et auctoritatis, qui adhuc a philologorum acumine et diligentia salutem atque caliginis qua teguntur dissipationem exspectent. Inter quos valde mirandum est, quod Rhiani, qui poetica quoque laude ornatus honorificum in Alexandrinis teneat locum, studia Homerica non tam accurate et exquisite, quam par est, tractata sunt. Nam tametsi quae in Homero recensendo elaboravit, magnam partem oblivione obruta sunt, tamen, ut Wolfii verbis[1]) utar, suam Homeri recensionem nobis vel paucis fragmentis desiderabiliorem facit, quam quidquid in hoc genere lusit Apollonius Rhodius; cumque tanta Wolfius valeat auctoritate, ut ab eo magni aestimari summae recte laudi ducatur, non opus est hic subicere quae Rhiani in laudem et commendationem afferri possunt iudicia aliorum, praesertim cum aut prorsus pendeant ex Wolfio aut in laudando Rhiano cum eo consentiant.[2])

Huius igitur critici haud contemnendi Homericis studiis non eam curam, qua digna essent, ab hominibus doctis impertitam esse dixi. Nam qui adhuc de illo peculiares libellos conscripserunt[3]), cum carminum eius reliquias colligerent, poetam potius quam grammaticum respexerunt atque ab Homericis eius studiis tractandis se abstinuerunt uno Saalio excepto, qui quamquam dissertationis partem alteram in hac re consumpsit, solos tamen Rhianearum lectionum indices scholiis ad Homerum ab editoribus adiunctos exscripsit, nullo earum examine instituto. Neque vero quibus M. Sengebuschius industriam in Homero recensendo a Rhiano collocatam adumbravit, ab omni parte idonea sunt, quae veram eius et expressam imaginem referant, neque qui nuper de veterum studiis Homericis satis amplo libro commentatus de Rhiano sum-

---

1) Prolegg. p. 188.

2) Ex Wolfio pendent Graefenhanius Gesch. der klass. Philol. im Alterth. Bonn 1843, vol. I p. 389. II p. 110, Siebelisius, Nicolaus Saalius; cum eo consentiunt Augustus Meinekius, M. Sengebuschius Hom. diss. I p. 47.

3) Primus de Rhiano seorsum disputavit eiusque fragmenta collegit Siebelisius scriptione scholastica Budissae a. 1829 edita, paucis annis post Nicolaus Saalius diss. inaug. Bonnae a. 1831 edita, quem deinde excepit Augustus Meinekius commentatione, quae Analectis Alexandrinis Berolini a. 1843 editis inserta est.

matim scripsit, Iacobus La Rochius[4]), quamquam ad verum multo propius accessit, eam rem ita absolvisse putandus est, ut aquas, ut aiunt, in mare videatur fundere, qui eandem iterare aggrediatur.

Quam ob causam quod hanc commentationem, quam novem abhinc annos, cum Ienae Mauricii Schmidtii praeceptoris summe venerandi disciplina utebar, adulescentulus conscripsi, nunc denuo retractavi et amplificavi, diutius in scriniorum umbra latere nolui, non defuturam mihi excusationem spero, cum omnes fere versus Homerici, quos Rhianus mutavisse fertur, aut difficultate aliqua laborent aut ii sint, de quibus nostra quoque aetate, quae vel maxime flagret his studiis, uberius disputare operae pretium sit.

I.

Disserendi exordium a vita Rhiani capiamus, quam quidem rem vel obiter attingere post Meinekii curas egregias supersedere possemus, nisi in ipsis his, quae vir eruditissimus investigasse sibi visus est, nonnulla dubitationem moverent; praeterea si minus paucula addere, at alia magis confirmare licet et inde utilitatis aliquid redundabit ad ea, quae deinceps in quaestionem vocanda sunt.

Atque inter paucos illos scriptores, qui Rhiani vitae mentionem iniecerunt, primarium sibi locum vindicat Suidas, qui s. v. tradit haec: Ῥιανός, ὁ καὶ Κρής, ὢν Βηναῖος. Βήνη δὲ πόλις Κρήτης· τινὲς δὲ Κεραΐτην, ἄλλοι δὲ Ἰθώμης τῆς Μεσσήνης αὐτὸν ἱστόρησαν. οὗτος δὲ ἦν τῆς παλαίστρας πρότερον φύλαξ καὶ δοῦλος. ὕστερον δὲ παιδευθεὶς ἐγένετο γραμματικός, σύγχρονος Ἐρατοσθένους. ἔγραψεν ἔμμετρα ποιήματα, Ἡρακλειάδα ἐν βιβλίοις τέτταρσιν.

Eadem fere apud Eudociam viol. p. 371 leguntur: Περὶ Ῥιανοῦ τοῦ γραμματικοῦ. Ῥιανὸς Κρής, γραμματικὸς ἐκ Βήνης. πόλις δὲ αὕτη Κρήτης· τινὲς δὲ Κεραΐτην, ἄλλοι δὲ Ἰθάκης τῆς Μεσσήνης αὐτὸν ἱστόρησαν cet., ubi Ἰθάκης, quod etiam Suidae codices deteriores occupavit, aperte mendosum est.

4) Die homerische Textkritik im Alterthum (Leipz. 1866) p. 43. 44.

Accedit denique Stephanus Byzantius p. 167: Βήνη πόλις Κρήτης ὑπὸ Γόρτυν τεταγμένη. τὸ ἐθνικὸν Βηναῖος. Ῥιανὸς γὰρ ὁ ποιητὴς Βηναῖος ἦν ἢ Κερεάτης ἢ Κρής.

Ex iis, quae Stephanus tradit, nihil aliud quam patriam Rhiani ac ne eam quidem accuratius quam e Suidae verbis cognoscimus; Eudociae autem rivulum manifestum est e Suidae fonte derivatum esse, cum nihil ea afferat, quod non melius apud illum legatur; Suidas denique quo auctore usus sit, Curtii Wachsmuthii[5]) diligentia et doctrina patefactum est, qui illum ex Hesychio, Hesychium ex Hermippo Berytio hausisse docuit: is enim peculiarem librum, in quo de servis eruditione illustribus singulari opera disputatum est, confecerat. Ad hunc igitur quae de Rhiani vita ad nos perlata sunt, omnia redeunt, ac vel is tenuissimam hanc notitiam posteritati vix traditurus fuisse videtur, nisi poeta noster infelici sorte inter eos fuisset, qui servitutis onere aliquamdiu premerentur.

Ac primum quidem omnium testium consensu confirmatur, natione Rhianum fuisse Cretensem, quamquam e qua urbe oriundus sit, in ambiguo relinquunt. In varia urbium nomina, quae a Suida et Stephano posita videmus, inquirere non opus est, cum in iis, quae Meinekius, qui aut Benam aut Ceraeam Rhiani patriam fuisse censet, enucleate exposuit in Anal. Alex. p. 171 sq., acquiescendum videatur.

Neque vero accuratius quam eius patriam definire possumus aetatem; nam cum Hermippo auctore Suidas Rhianum dicat aequalem fuisse Eratosthenis, aetatem tam vagis terminis circumscribit, ut tempus, quo natus aut quo mortuus sit, omnino non compertum habeamus. Eratosthenes autem cum Ol. 126 natus per octoginta annos usque ad Ol. 146[6]), h. e. inde ab anno 276 ad annum 196 ante Chr. n. vitam perduxerit, haud perperam collegeris,

5) Cfr. eius commentatio 'de fontibus ex quibus Suidas in scriptorum Graecorum vitis hauserit', quae inserta est Symbolae philologorum Bonnensium pp. 140—143.

6) Hi numeri disertis Suidae testimoniis nituntur; cfr. Ritschelius de Alex. bibl. p. 89 (Opusc. I p. 63 sq.); quare quod Meinekius l. l. Eratosthenem Ol. 149 mortem obiisse dicit, typothetae errori videtur tribuendum esse.

Rhiani vitam tertii saeculi dimidium alterum ante aeram Christianam sive trium Ptolemaeorum regna complevisse.

Denique comperimus Rhianum, antequam in artium litterarumque studiis elaborare ei liceret, adulescentem eandem quam multos alios inter Graecos et Romanos homines litteratos fortunae invidiam expertum esse, ut in servili condicione versari cogeretur. Ac palaestrae custodis munere eo tempore fungebatur. Siebelisius quidem id munus a servitio prorsus abhorrere arbitratus Rhianum, cum fieret παλαίςτρας φύλαξ, hominem sui iuris fuisse putandum esse contendit. Sed cum non satis exploratum sit, num palaestrae custodia a servo suscipi non potuerit, neque Hieronymus Mercurialis, cuius auctoritate Siebelisius nititur, accuratius inquisivisse videatur, qualis eius muneris fuerit natura et proprietas[7]), tum vero ipsa verborum collocatio, qua Hermippus vix temere hoc loco usus est, servo Rhiano palaestram custodiendam fuisse manifeste arguit. Quid vero? nonne redarguitur hoc dilucidis verbis Aristotelis, qui pol. II 5 p. 31, 20 (Bekk.) dicit: ἐκεῖνοι (Cretenses) γὰρ τἄλλα ταὐτὰ τοῖς δούλοις ἐφέντες μόνον ἀπειρήκασι τὰ γυμνάσια καὶ τὴν τῶν ὅπλων κτῆσιν? Quo testimonio si quis uti velit, vereor ne non multum proficiat. Etenim dubitari vix potest, quin non tam gymnasiorum aedificia quam exercitationes illae a philosopho intellegantur, quibus adulescentes corpora firmare solebant, neque constat, cum custodia palaestrae necessario coniunctam fuisse harum exercitationum societatem et administrationem, quae ad moderatores potius et magistros iuventutis pertinebat, quos παιδονόμους et ἀγελάτας a Cretensibus appellatos esse scimus.[8]) Sed ut verum sit, quod de ceteris civitatibus minime concedendum est, Cretensium servos omnino nihil rationis habuisse cum gymnasiis: in Cretica urbe Rhianum servitutem servivisse quis tandem evincet? Cur non poterat fieri, ut in Creta natus nescio qua calamitate in servitutem redigeretur et in

---

7) Mercurialis enim de arte gymn. I 12 cum παλαιςτροφύλακα non solum ipsum luctatum esse, verum etiam palaestrae curam habuisse dicat, ad unum dumtaxat locum Hippocratis respicit, unde hoc in universum colligi non potest, cum palaestrae custodis apud antiquos satis frequens mentio fiat.

8) Cfr. Strabo X 483. Hoeckius Cretae III p. 100 sqq. Schoemannus antiq. iuris publici Gr. p. 154.

peregrinam terram abductus mancipium veniret? Immo vero hoc ita fuisse certa argumentandi ratione paene ad liquidum perduci potest. Servi enim Cretensium aut χρυϲώνητοι i. e. venales aut ἀφαμιῶται sive κλαρῶται aut μνωῖται erant. Iam vero cum venales ab hominibus privatis pecunia empti et haud dubie peregre advecti in urbibus domestica officia et munera exsequerentur, aphamiotae autem, qui et ipsi in privatorum hominum potestate erant, rusticam vitam degerent et privatis agris colendis operam darent, ab his duobus servorum generibus palaestrae custodia alienissima erat, ut iis Rhianus ascriptus esse non potuerit. Contra μνωῖται, servi publici, quamquam maxima ex parte ruri circa urbes habitabant et publicis agris colendis intenti pensiones rei publicae persolvebant (cfr. Schoemannus l. l. p. 152), videntur tamen, ut Hoeckius Cretae III p. 33 coniecit, etiam in urbibus interdum humiliora quaedam et sordida ministeria fecisse, quae ad communem rei publicae usum necessaria essent. Itaque cum prorsus incredibile non sit, mnoitis traditam fuisse custodiam illius aedificii, in quo iuvenes publice luctando exerceri solerent, Rhianum in Creta servivisse putantibus nihil aliud nobis relinquitur, quam ut ex mnoitarum genere eum fuisse arbitremur. Cui opinioni id maxime obstat, quod cogitari nequit, qui fieri potuerit, ut unquam ille ex hac servili condicione in libertatem vindicaretur. Hoc enim Suidas liquido testatur, cum dicit: ὕϲτερον δὲ παιδευθεὶϲ ἐγένετο γραμματικόϲ i. e. Rhianum postquam servitio defunctus esset, litteris se dedisse et artem grammaticam professum esse. Quare nihil mihi probabilius videtur, quam illum non in Creta, sed alia in terra servum fuisse.

Haec quidem sunt omnia, quae a scriptoribus antiquis de Rhiani vita commemorata invenimus; ultra quae nos certi nihil scire aperte confitendum est. Quaecunque alia de hac re statuuntur, historiae fide comprobata non sunt, sed quantumvis arrideant, tamen cum divinando inventa sint, pro exploratis haberi nequeunt. Cadit hoc in nonnulla eorum, quae Meinekius Anal. Al. p. 174 de vita illius disputavit.

Vir enim ingeniosissimus ex Suidae verbis ϲύγχρονοϲ Ἐρατοϲθένουϲ coniecturam cepit, Rhianum cum illustri hoc grammatico consuetudinis amicitiaeque vinculo fuisse consociatum. Etenim vix licere ait credere Suidam ita illius aetatem significaturum

fuisse, nisi inter utrumque hominem propior quaedam vitae studiorumque societas fuisset. At vero haecine omnia ex duobus illis verbis consequuntur? Nonne eodem iure, quo Meinekius amicitiam statuere sibi visus est, inimicitiam et simultates quasdam inter utrumque intercessisse existimare licet? Quid? si idem concludere velimus ex eo, quod Suidas in vita Apollonii etiam hunc poetam σύγχρονον Ἐρατοσθένους καὶ Εὐφορίωνος fuisse scribit, cum tamen Euphorion Chalcidensis, qui postquam Chalcide et Athenis commoratus est, ultimum aetatis tempus Antiochiae transegit, nec Rhodi nec Alexandriae unquam vixerit? Cavendum est ne nimium quaeramus in ea locutione, quae frequentissima est, ubi hominis alicuius aetas designatur, eademque vi et potestate similes voces ἰσόχρονος, συνήκμασε, συνεγγίζων (cfr. Arati vita I p. 3, II p. 442) saepius usurpantur. Ac si quaerimus, quanam re Suidas vel potius Hermippus commotus sit, ut Eratosthenis cummaxime aequalem Rhianum nominaret, apparet eum nullam illius vitae rem memorabilem ad certi anni numerum revocare potuisse. Quapropter alterum virum, qui qua aetate vixisset notissimum erat, debebat quaerere, ut huius aequalem illum nuncuparet. Grammaticus autem cum Rhianus esset, nonne sponte ita res tulit, ut Hermippus ad eius aetatem definiendam alterum eumque nobilissimum eligeret grammaticum? Non mihi in animo est negare potuisse fieri, ut Rhianus et Eratosthenes amicitia et studiorum societate continerentur, sed illud maxime adverti velim coniecturam a Meinekio propositam non esse ita comparatam, ut nullus dubitationi locus relinquatur.

Maximam vero probabilitatem habet eiusdem Meinekii coniectura altera, degisse Rhianum aliquamdiu Alexandriae, quae quidem cum ea de qua modo diximus tam arte cohaeret, ut haec sine illa stare non possit. Scilicet si quando pro vero habueris, illum amicum fuisse Eratosthenis, facere vix poteris, quin eum Alexandriae commoratum esse censeas, quoniam Eratosthenes Cyrenis urbe natus, ut litteris studeret, primum Alexandriam, deinde Athenas se contulit, unde a Ptolemaeo Euergeta evocatus perpetuum Alexandriae domicilium collocavit. Iam hanc quidem ob causam non fit, ut assentiamur, at coniectura illa aliis tamque firmis argumentis commendatur, ut ad verum quam proxime accedat.[9]) Nam

9) Eandem sententiam protulit etiam Rudolfus Merkelius prolegg.

— ut Meinekii verba afferam — 'cum eius studia grammatica maxime ad crisin carminum Homericorum pertinerent, non potuit alio facile loco ea sibi comparare subsidia doctrinae studiorumque adminicula, quae nisi eum veteribus exemplis temerario quodam arbitrio in Homero grassatum esse credas, prorsus necessaria sunt'. Neque vero in editione facienda eum soli arbitrio suo indulsisse, nullo adhibito apparatu critico, sed potius sat multas editiones veteres inspexisse videri, infra uberius demonstrabitur. Quam editionem si in Creta fecisset, non Alexandriam ea in manus Aristophanis, Aristarchi, aliorum grammaticorum venisset, sed Homerica eius studia critica nunc non minus in occulto laterent quam sagacitas ludi magistri illius Atheniensis, qui Homerum a se ipso emendatum Alcibiadi obtulit (cfr. Wolfius proleg. p. 169). Ac praeterea quod Rhianus, cum poeticam artem factitaret, ea potissimum genera sectatus est, quae illo tempore fere sola a poetis industrie excolerentur, eruditorum lectorum favore celebrarentur, carmina epica, ethnographica, epigrammata, id argumento est, eum non in illa βιβλίων ἐρημίᾳ Cretensi nec remotum a consuetudine et commercio cum poetis, qui tum maxima laude florerent, in studia poetica incumbere potuisse. Cumque carminibus, quae de rebus Achaeorum, Thessalorum, Eleorum composuit, multa tractaret, quae ex harum gentium genealogia fabulosa, geographia, historia petita essent, earum rerum omnium cognitionem nisi multis libris sedulo perlectis aut illis regionibus Graeciae peragratis comparare non poterat; epigrammatum vero argumenta exceptis quae in rebus amatoriis versantur, non eius modi sunt, ut in Creta eum putaveris talia animo concepisse, atque ex dicendi genere apparet, eum non Homeri modo, sed etiam Hesiodi, Pindari, Theognidis, Aeschyli, aliorum poetarum haud inperitum fuisse, utpote quorum cum sententias tum vocabula in usum suum interdum converterit. His autem argumentis peropportune succurrit, quod Rhianus de-

---

ad Apoll. Rhod. p. LXXIII: 'Nec Rhianum probabile est in Creta aut in Aetolia grammaticum Homericum egisse', ubi quorsum spectet, quod in Aetoliam Rhianum traduxit, non intellego. Idem p. XV dicit, satis probabile esse, non solum Apollonium et Aristarchum, sed etiam Rhianum 'Ptolemaeo Philopatore potissimum regnante' (211—204) Alexandriam venisse.

functus demum servitio, h. e. ea aetate, qua nemini servilem oboedientiam deberet, sed suae omnino potestatis suique iuris esset, artem grammaticam amplexus est. Quid igitur impediebat, quominus quoquo vellet commigraret? Optanti autem, ut grammaticis studiis operam daret, in Creta patria ei satisfieri non poterat, cum neque praeceptores, qui has litteras profiterentur, neque bibliothecam, quae doctrinae subsidia suppeditaret, ibi fuisse constet atque adeo apud Platonem de leg. III p. 680 C Clinias Cretensis hospiti Atheniensi versibus nonnullis Homericis uso respondeat: οὐ γὰρ σφόδρα χρώμεθα οἱ Κρῆτες τοῖς ξενικοῖς ποιήμασιν. Itaque migrare eum oportebat aut Athenas aut Alexandriam aut aliam in urbem litterariis studiis affluentem; de Athenis autem vel Antiochia vel alia urbe ne cogitare quidem licet, contra Alexandriam eum se contulisse perquam credibile est: nam cum ipsa urbis vicinitas eum quodam modo invitabat, tum si in ulla urbe alia, sub Ptolemaeis ibi litterarum studia vehementissime vigebant, exculta a Zenodoto, Callimacho, Eratosthene, Apollonio Rhodio grammaticis summa laude florentibus, sustentata exquisitae bibliothecae copiis amplissimis. Cum igitur tam multa argumenta concurrant, quae fidem faciant, Rhianum aliquantum temporis Alexandriae versatum esse, cumque eum non in Creta, sed in urbe peregrina servum fuisse supra probatum sit, sponte ducimur ad coniecturam, quam nunc quidem proponere non dubito: eum in Creta obscuro fortasse loco natum infelici casu libertate amissa in Aegyptum abductum Alexandriae sub corona venivisse et servile munus palaestrae custodiendae suscipere iussum esse. Qua in condicione non impediebatur, quominus e servitute sese redimeret; poterat etiam accidere, ut cum occasione data fortasse praeclari ingenii documenta exprомeret, nobilium vel eruditorum hominum, qui iuvenum exercitationibus interdum intererant, animos in se converteret eorumque beneficio libertatem recuperaret. Cum his optime congruit, quod simulac servitio liberatus est, artem poeticam et grammaticam amplexus est, ut Suidas dicit: ἦν τῆς παλαίστρας πρότερον φύλαξ καὶ δοῦλος· ὕστερον δὲ παιδευθεὶς ἐγένετο γραμματικός· nec minus commode explicatur abalienatus eius a patria animus, quem produnt ignominiosa illa, quae de Cretensium sagittariorum insigni perfidia in Messeniacis narravit (cfr. Pausanias IV 19, 4 sq.). Qui postquam Aristomenem induliarum tempore

inermem insidiose oppresserunt, gaudio elati tam inmoderato potui se dederunt, ut ebrietate sopiti ab Aristomene generosae virginis ope liberato facile interficerentur et suo exemplo comprobarent illud Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί. Certe Rhianus nisi patria mature relicta eius plane oblitus omnique caritate exutus esset, hoc popularium suorum famae dandum putavisset, ut Cretensium in locum alios ex Lacedaemoniorum sociis substitueret. Quod eo veri similius est, cum quod mercennarios Cretenses carmini intexuit, id non ex veteribus Messeniorum fabulis petitum, sed, ut Od. Muellerus de Doriens. I p. 144 observavit, recentioris poesis indicium esse videatur: cfr. etiam Hoeckius Cretae III p. 461. Quae cum ita se habeant, iure Meinekius fecit, quod commentatione sua de Rhiano Analectis Alexandrinis inserta hunc Alexandrinis poetis et grammaticis adnumerandum esse declaravit. Cum autem Rhiani vitae hos terminos constituerimus, ut ab anno 250 fere usque ad annum 200 pertineat, cumque Zenodotum Ol. 133 sive anno 248 mortem obiisse, Aristophanem Byzantium Ol. 144 sive anno 204 floruisse Suidae testimonio evincatur, grammaticorum Alexandrinorum ordini Rhianus ita interponendus erit, ut una cum Eratosthene locum obtineat inter Zenodotum et Aristophanem Byzantium.[10])

---

10) Mira est Rhiani de aetate et artis criticae natura inter homines doctos dissensio. Nam Theod. Beccardus de scholiis in Hom. Iliadem Venetis Berol. 1850 pp. 47. 48 Rhianum iis adnumerat, qui nulla iam arte grammatica adhibita Homericorum carminum ἐκδόσεις, non διορθώσεις fecerint. Quem in errorem eo inductus esse videtur, quod Rhianum ante Zenodotum studia sua Homero dicasse opinatur. Dicit enim: 'Notissimum est, in scholiis nostris has Iliadis nominari editiones: Massiliensem, Chiam, Argolicam, Sinopensem, Cypriam, Creticam, Antimachi, Philetae, Rhiani, Philemonis, denique Sosigenis. Tum vero exstitit Zenodotus, qui omnium primus cum audacia atque iudicio ad recensendam Iliadem aggressus est'. Idem sentire videtur Bernhardy Gr. litt. hist. II p. 152. A quibus quantum distat Max. de Karajan, qui in commentatione: 'Ueber die Handschriften der Scholien zur Odyssee Wien 1857' p. 7, ubi temporum ordine observato grammaticos de Odyssea meritos enumerat, dicit: 'Zunächst des Aristophanes von Byzanz, Rhianos und Aristarch ἐκδόσεις'. Etiam ab Aug. Nauckio Aristophanem ante Rhianum poni postea videbimus.

II.

Rhianum, cum in libertatem vindicatus esset, omnia sua litterarum et doctrinae studia ex saeculi sui more ad poetarum principem Homerum rettulisse, primum ex epicis eius carminibus et epigrammatis intellegere licet, quorum quamquam perpauca exstant fragmenta, hoc tamen satis manifestum faciunt, eum Homericae poesis indole penitus animo percepta epicae dictionis felicissimum exstitisse imitatorem et aemulum. Nam, ut audiamus intellegentem poetarum aestimatorem Meinekium l. l. p. 200, in dictionis forma versuumque struendorum arte 'simillimus fuit Apollonio Rhodio. Numerorum quidem eadem mollitudo, oratio autem, sive verborum delectum sive rationem syntacticam spectas, simplex et Homericae aemula, nulla insolentioris dictionis affectatio, nulla obscurae doctrinae ostentatio'. Idem de epigrammatis[11]) l. l. p. 206: 'In plerisque res amatoriae petulanti quadam tractantur lascivia, sed ad unum omnia excellunt cum emendatae dictionis laude, tum inventionis acumine atque haud raro nativa quadam et amabili simplicitate'. Cum his conspirant quae M. Sengebuschius Hom. diss. I p. 47 de Rhiani arte poetica dixit: 'Transtulisse multa ex Homero in carmina sua Rhianum ita ut simplicitatem maxime Homerici sermonis aemularetur, fragmenta docent. Qua in re longe recessit ab ostentatione doctrinae, quae reperitur apud Apollonium Rhodium et Callimachum'.

Haec quidem confirmari videbimus, ubi in singula accuratius inquisiverimus, quamquam parum superest fragmentorum, quam ut largum documentorum copiam proferre liceat.

Primum igitur, ut ab eo studio Homerico incipiamus, quod cernitur in fabulis ad similitudinem Homericarum conformatis, missa facienda sunt Thessalica, Eliaca, Achaica, quae cum in argumento ethnographico versarentur, vix aliam habebant cum Homeri carminibus affinitatem, quam quod sermone epico et ver-

11) Meleager, qui Rhiani epigrammata in Cτέφανον suum recepit, ut 'suavem placidumque versuum cursum et aromaticam quasi carminum naturam' (v. Saalium p. 15) significaret, de eo dixit: τῇ δ' ἅμα καὶ cάμψυχον ἀφ' ἡδυπνόοιο 'Ριανοῦ.

sibus heroicis condita erant. In his fortasse magis quam in reliquis indulsit poetarum aequalium studio multiplicem doctrinam poeticis artificiis ornatam lectoribus tradendi. De Heraclea autem, ex qua ne unus quidem versus ad nos pervenit, nihil scimus nisi quae ad T 119, ubi narratur qua fraude Iuno effecerit, ut Eurystheus ante Herculem in lucem ederetur, scholiasta adnotavit: unde cognoscimus 'cantasse Rhianum in Heraclea totam illam de nato Hercule fabulam, quam paucis verbis in Iliade expressam legimus, tum notam laborum seriem, quos forti animo perpessus sit Hercules, postremo quomodo inprimis Apollinis et Minervae precibus a dis Olympiis adeptus sit immortalitatem' (v. Saalium p. 33). Quod vero scholiasta in Homeri explicatione Rhiani potissimum Heracleam commemorandam sibi duxit, cum Herculis vita et res gestae haud raro a poetis versibus celebratae essent, id argumento videtur esse, Rhianum fabulas ab Homero de Hercule traditas praeter ceteros diligenter et cum fide secutum esse et elementa illa adumbrati epici carminis, quae variis locis Iliadis et Odysseae dispersa sunt, scite composuisse novisque inventis exornavisse et perfecisse. Cui rei maxime consentaneum est, quod Minervam patronam Herculis et adiutricem finxit, cuius ope in deorum numerum ascitus sit; haec enim iam apud Homerum Θ 362 a se dicit saepe servatum esse Herculem Eurysthei laboribus defatigatum.

Graviora sunt quae Pausaniae opera de Messeniacis cognita habemus, quo carmine bellum Messeniacum secundum et res ab Aristomene fortiter et gloriose gestas persecutus est. De rebus Messeniorum etiam Myron Prienensis rerum scriptor pedestri oratione librum confecit, sed hunc Pausanias reprehendit ut indignum, cui semper fides habeatur (οὐ προορώμενον, εἰ ψευδῆ τε καὶ οὐ πιθανὰ δόξει λέγειν IV 6, 4) et libro quarto, quo res Messeniacas tractat, in describendo bello altero neglecto Myrone ad solum Rhiani carmen ita accommodavit narrationem, ut fere ubique poetae epici vestigia conspiciantur et inde totius carminis consilium et ratio, rerum dispositio et decursus agnosci possint.[12])

12) Cfr. O. Pfundtneri commentatio 'die histor. Quellen des Paus.' Fleckeiseni annal. tomo 99 a. 1869 p. 441—454 inserta, qua rectissime inpugnavit Mansonem Pausaniae narrationem e Rhiani carmine manasse

Quod igitur Pausanias Rhianum fide digniorem habuit quam Myronem (Ῥιανὸς δέ μοι ποιῆσαι μᾶλλον ἐφαίνετο εἰκότα ἐς τὴν Ἀριστομένους ἡλικίαν IV 6, 3), id eius poetae nativam simplicitatem, incorruptum veri amorem, modestiam vere Homericam prodit, qua non suae gloriae, sed rerum veritati studuerit, non fabulosae inventionis laudem perversis artificiis captaverit, sed ea quae a Messeniis, qui praeclarum belli ducem avorum heroem colebant, acceperat, fideliter versibus tradiderit. Neque tamen historicum egit, qui bellum a principio exorsus ad finem deduceret, sed verum poetam ac sollertem Homeri imitatorem se praebuit, cum non totum bellum describeret, sed a pugna ad Magnam Fossam tertio belli anno commissa exordium caperet (ὁπόσα δὲ χρόνῳ συνέβη τοῖς Μεσσηνίοις ἀποστᾶσιν ἀπὸ Λακεδαιμονίων, ὁ δὲ καὶ ταῦτα μὲν οὐ τὰ πάντα ἔγραψε, τῆς μάχης δὲ τὰ ὕστερα, ἣν ἐμαχέσαντο ἐπὶ τῇ Τάφρῳ τῇ καλουμένῃ μεγάλῃ IV 6, 2); cum autem eo tempore magna clade accepta Messenii adversa fortuna uterentur et Iram in urbem munitam confugere coacti essent, hoc exordio carminis sumpto effecit, ut eo magis exsplendesceret singularis virtus, constantia, prudentia Aristomenis, quem tanta laude extulit, ut quemadmodum Achilles in Iliade, sic in Messeniacis

---

negantem; unde hunc locum (p. 449) afferre placet: ʻVon einer starken und durchgängigen Benutzung des Dichters zeigen sich uns die deutlichsten Spuren; weniger in poetischen Worten und Wendungen als in der ungewöhnlichen Lebhaftigkeit des Stiles; in der wahrhaft epischen Breite der Darstellung, die selbst kleine dem Historiker unbedeutende Züge nicht unerwähnt lässt und die vom Dichter fingierten Reden und Aeusserungen einzelner Helden, wie des Sehers Theoklos, des Aristomenes, direct anführt; in der Fülle der Sentenzen, die sich namentlich auf die Wechselfälle des Glückes beziehen; in dem Bestreben, die Thatsachen und ihren Ursprung auf das göttliche Walten zurückzuführen; in der Idee eines Schicksals, das durch dunkle Sprüche schon verkündet, durch wundersame Ereignisse angedeutet die Messenier unerbittlich ereilt. Auch den heroenhaften Charakter des Aristomenes hat er Zug für Zug nach dem Dichter geschildert: seine mehr als menschliche Tapferkeit, mit der sich erstaunliche Klugheit und List verbinden, seinen unermüdlichen Eifer für die Sache des Vaterlandes, der auch dann nicht erlischt, als der Seher ihm das den Messeniern drohende Schicksal kund thut, und als die Frucht so herrlicher Sinnesart das ungewöhnliche Glück des Helden, den die Hand der Gottheit aus den grössten Gefahren errettet.ʼ

ille primas partes ageret; hoc enim planis verbis declarat Pausanias IV 6, 3: Ῥιανῷ δὲ ἐν τοῖς ἔπεσιν οὐδὲν Ἀριστομένης ἐστὶν ἀφανέστερος ἢ Ἀχιλλεὺς ἐν Ἰλιάδι Ὁμήρῳ. Etiam singula multa ad exemplar Homeri finxisse putandus est, ut Saalius p. 24 recte monuit 'narrationem de immolatis ἑκατομφονίοις ob occisos hostes prorsus ad imitationem Achillis in funere Patrocli (Il. XXIII) compositam videri' et Pausaniae locum IV 21, 3, ubi Aristomenes et Theoclus vates, quamquam Messeniis perniciem nulla mora interposita instare sciebant, tamen suorum unum quemque adhortati esse narrantur, similem esse Homerico loco Δ 231, ubi Agamemnon Danais verbis suis animum addidisse dicitur.[13]) Ac deos quoque Homerico more finxit rerum humanarum curam gerentes, modo auxilio Aristomeni lato, ut Paus. l. l. 18, 5. 7, modo calamitate missa, ut 21, 7, ubi magni et assidui imbres Messeniis exitio sunt; et fragm. 4 αὐδὴν εἰσάμενος Δωτηίδι Νικοτελείῃ sine dubio ad deum pertinet, qui sumpta specie Nicoteleae, Aristomenis matris, alicui — per somnium fortasse — apparuit et locutus est. Pariter atque Homerus fato et dirae necessitati hominum sortem obnoxiam esse indicavit, nam saepius Pausanias posuit Homericum illud verbum πεπρωμένον ex Rhiano haud dubie ascitum: 18, 6. 20, 1. 21, 6 ibidemque 10 Theoclus vates dicit: ἁλῶναι Μεσσήνην πάντως ἐστὶ πεπρωμένον, quae quidem verba facillime coeunt in hexametrum hunc: Μεσσήνην πάντως πεπρωμένον ἐστὶν ἁλῶναι. Nocturna Aristomenis in castra Lacedaemoniorum irruptio (19, 2), qua duces et milites permultos interfecit et praetorium tabernaculum rapuit, certe habuit simile quid Iliadis libro decimo, quo Vlixes et Diomedes noctu Rhesum oppressisse eiusque equos rapuisse narrantur. Aristomenem lapide percussum et ab hostibus captum Rhianus paene eodem modo quo Homerus Hectorem ab Aiace lapide gravissime vulneratum descripsit: vide quanta sit similitudo verbis Homeri Ξ 409 τὸν μὲν ἔπειτ' ἀπιόντα μέγας

---

13) Pausanias haec narrat: ἐπιόντες δὲ τὴν πόλιν σπουδῇ καὶ ἐπὶ πάντας ἐρχόμενοι τοῖς.τε ἐντυγχάνουσιν, ὁπότε αἰσθάνοιντο ὄντας Μεσσηνίους, παρεκελεύοντο ἄνδρας ἀγαθοὺς εἶναι καὶ ἐκ τῶν οἰκιῶν ἀνεκάλουν τοὺς ἔτι ὑπολειπομένους. Homeri autem verba sunt haec: αὐτὰρ ὁ πεζὸς ἐὼν ἐπεπωλεῖτο στίχας ἀνδρῶν· καί ῥ' οὓς μὲν σπεύδοντας ἴδοι Δαναῶν ταχυπώλων, τοὺς μάλα θαρσύνεσκε παριστάμενος ἐπέεσσι.

Τελαμώνιος Αἴας χερμαδίῳ . . στῆθος βεβλήκειν, 428 ἔπεσ' Ἕκτορος ὦκα χαμαὶ μένος ἐν κονίῃσιν, 421 οἱ δὲ μέγα ἰάχοντες ἐπέδραμον υἷες Ἀχαιῶν ἐλπόμενοι ἐρύεσθαι, 438 τὼ δέ οἱ ὄσσε νὺξ ἐκάλυψε μέλαινα· βέλος δ' ἔτι θυμὸν ἐδάμνα cum his, quae Pausanias brevissime indicat 18, 4: πληγέντι ὑπὸ λίθου τὴν κεφαλὴν αὐτῷ σκοτοδινιῶσιν οἱ ὀφθαλμοὶ καὶ πεσόντα ἀθρόοι τῶν Λακεδαιμονίων ἐπιδραμόντες ζῶντα αἱροῦσιν. Et haud scio an Pausanias verbis 21, 2 ὡς ἐν δικτύοις εἰσὶν ἐσχημένοι, quibus Messenii omni spe salutis destituti quasi pisces retibus undique circumventi designantur, imaginem retinuerit a Rhiano uberius exornatam, qua iam Homerus aliqua ex parte χ 384 usus erat.

Et sic sine dubio alia multa ad Homeri similitudinem expressit, sed ea cum scire non possimus, nunc perlustremus verborum imitationem, quantum quidem cognosci potest ex fragmentorum paucitate.

Atque in epicorum quidem carminum[14]) reliquiis praeter duas formas doricas ἐφάτιξε, quam Meinekius reposuit pro ἐφάτιζε A. 1[15]), et μετεφημίξαντο Th. 1, 5 dialecto semper Ionica ea qua Homerus usus est: id quod satis docent vocabula νηόν Th. 17, οὔνομα I. 3, Οὔλυμπόνδε I. 1, 15, τρηχύν M. 3, κρείοντι I. 1, 21, δύω M. 2; deinde declinationum formae γαῖαν I. 1, 21, εὐχάων Ph., Ὀξείῃσι Th. 11, ἄκρῃς ἐν κεφαλῇσιν I. 1, 18, γραίῃσι I. 1, 19, Ἰναχίδαο A. 1, 1; — ἀλόχοιο Th. 1, 2, ἀργεννοῖο M. 2, 1, βιότοιο I. 1, 3; — οὔρεος M. 2, 1, ἀφραδέϊ I. 1, 3, τοκῆες I. 1, 11, Ἀπιδανῆας A. 1, 3, Ὀμφαλιῆας Th. 3, ἀνέρας A. 1, 3, μακάρεσσι I. 1, 4, ποσσίν I. 1, 11, πόδεσσι I. 1, 17; — tum verborum formae νοέειν I. 1, 6, ἐστρατόωντο M. 2, 1, καλέεσκον Th. 1, 1, ἐρριγώς I. 1, 7, γείνατο ibid., κλῦθι Ph., εἰσάμενος M. 4, ἴσαν Th. 13, ἐών I. 1, 14,

14) Brevitatis causa carminum fragmenta his litteris designavi: Achaia A., Eliaca E., Messeniaca M., Thessalica Th., Φήμη, cuius unus versus exstat apud Meinekium p. 176, Ph., fragmenta incerti loci I.; numeri adiuncti sunt ii quos Saalius posuit, sed in fragm. incerti loci I. et epigrammatis secutus sum Meinekii ordinem.

15) Similem formam in cantico Soph. Ai. 714 Suidas legit φατίξαιμ' ἄν, quam Ald. et Flor. utraque retinuerunt.

itemque hae formae, quae quamquam apud Homerum ipsum non inveniuntur, non pugnant tamen cum eius dialecto πελόμεcθα I. 1, 1, παρέωcι I. 1, 7, ἐκγένετο A. 1, 2, pro quo Homerus dicit cum augmento ἐξεγένοντο Ε 637. Ξ 115. Υ 231. 305. — Particulas habet Homero proprias ἀτάρ Th. 2, αὐτάρ et ἰδέ ibidem, ἠέ I. 1, 15, ἦ ἄρα δή I. 1, 1 (cfr. Ν 446), κέ I. 1, 3. 9. 16, ὅθι τε I. 1, 7, ῥά cum relativo pronomine coniunctum A. 1, 3, Th. 3. 1, — Praepositiones usurpavit Homerica consuetudine ποτί Th. 13, πάρ M. 3; adverbialiter posuit cὺν δέ Th. 3 (cfr. Ψ 879. κ 436) et ἐπί I. 1, 9; collocationem imitatus est I. 1, 18 ἄκρηc ἐν κεφαλῇcιν et I. 2 αὐχένοc ἐξ ὑπάτοιο; anastrophen admisit Th. 1, 5 τοῦ δ' ἄπο, tmesin I. 1, 4 μακάρεccιν ἐπὶ ψόγον αἰνὸν ἰάπτει et ibid. 16 μετ' ἀθανάτοιcιν ἀρίθμιοc. — Articulus semper demonstrativi pronominis locum tenet: τοὶ δ' Th. 17, τοῦ δέ A. 1, 2, τήν γε Th. 1, 1, ὁ δ' αὖ τέκε Th. 1, 4, τοῦ δ' ἄπο Th. 1, 5, τὴν μέν M. 5, ἡ δ' Ἄτη I. 1, 17. — Enuntiata conformavit prorsus ad modum Homericum simplicia, minuta, brevissimi ambitus, id quod cum duo exempla Th. 1 et A. 1, tum fragmentum longissimum I. 1 planissime declarant.

Verborum delectus is est, ut omnia fere vocabula ex Homero desumpta sint aut certe ad eius consuetudinem apte efficta exceptis φατίζω et μεταφημίζω, quae iam supra commemorata sunt, αὐχήειc Th. 4, quod novicium est adiectivum et legitur praeterea Opp. hal. 2, 677, ἀρχαῖοc Th. 1, 2, ἀρχῆθεν A. 1, 2, πολύδρυμοc E. 3, κύβοc I. 2, εἰcαΐω I. 3, pro quo Homerus simplex ἀΐω ponit, ψόγοc I. 1, 4; ex Hesiodi Th. 511 et Aeschyli Suppl. 542 assumpsit ἁμαρτίνοοc I. 1, 1 (cfr. Homeri ἁμαρτοεπέc Ν 824), ex Hesiodi Op. 479 εὐοχθεῖν ib. 9, ex Pindari Ol. 7, 24, Pyth. 3, 13 et Aeschyli Prom. 563 ἀμπλακίη ib. 20, ex Aeschyli Sept. 483 ὑπέραυχοc, quod Meinekius I. 1, 13 reposuit, ex Theognide 325 ἁμαρτωλή ib. 12; ex Euripidis Hipp. 200 εὔπηχυc ib. 14, ἐπιcτείβειν ib. 11 ex Sophoclis O. C. 56; ἐχεκτέανοc ib. 7 autem videtur primus usurpasse, itemque ἑτερόρροποc ib. 2 et μετατρωχάω ib. 17, hoc quidem ad analogiam Homericam fictum. 'In verborum quorundam usu ab Homerica dicendi consuetudine recessit, veluti quod I. 1, 12 ὑπεροπλίη singulari numero dixit, et ib. 10 πολυκοιρανίη novo quodam modo de imperii amplitudine usurpavit, nec

cφέτερος, quod ib. 5 legitur, Homericum est; cfr. Wolfius prol. Hom. p. 247' (Meinekius p. 200). Similiter ἀργεννός M. 2, 1 de montis cacumine nive tecto dicit, cum Homerus de ovibus Z 524, C 529. 588, ρ 472, de candidis linteis Γ 141 usurpavisset, et βρομέω, quod Homerus Π 642 de muscis murmurantibus dixit, I. 1, 13 de hominibus posuit, Salmoneum fortasse innuens. At cetera vocabula, quae apud Rhianum legimus, creberrimi usus sunt apud Homerum, ut λαοί Th. 1, 5, γενεή A. 1, 2, κραδίη I. 1, 3, γραίη I. 1, 19, ἄλοχος Th. 1, 2, βίοτος I. 1, 3, ὀϊζύς I. 1, 8, δρυμὸν Λύκοιο M. 3 (cfr. Hom. Λ 118. κ 150. 197 δρυμὰ πυκνά), πτύχες οὔρεος M. 2, 1 (cfr. Λ 77 κατὰ πτύχας Οὐλύμποιο), φέρτατος Th. 1, 4, ὕπατος I. 2, ὁπλότερος I. 1, 20, ἐπιδευής ib. 3, ἀχνύμενος ib. 5, εἰλαπινάζω ib. 16, ἴcχω ib. 13, ῥέξαι ib. 6, ἐπιλήθεcθαι ib. 10, τεκμαίρεcθαι ib. 15, ἄφαρ Th. 13, ἐξαῦτις Th. 1, 3. Paulo rariora sunt vocabula κατηφείη I. 1, 8 (cfr. Γ 51. Π 498. P 556), ἀτίζω ib. 5 (cfr. Y 166), ἀτραπιτός ib. 15 (cfr. ν 195), ἀνώιcτος ib. 18 (cfr. Φ 39), ἄφαντος ibid. (cfr. Z 60. Y 303), cτρωφάομαι ib. 4 (cfr. I 459. Y 422. N 557. ζ 53. 306. η 105. ρ 97). Praeterea reperimus locutiones Homericas has: κλῦθί μοι Ph. (cfr. E 115. β 262), αὐδὴν εἰcάμενος M. 4 (cfr. N 216 εἰcάμενος φθογγήν., ib. 45. P 555), τὴν μὲν ἀνήγετ' ἄκοιτιν M. 5 (cfr. γ 272 τὴν δ' ἐθέλων ἐθέλουcαν ἀνήγαγεν ὅνδε δόμονδε), μάλα πάντες I. 1, 1, θυμὸν ἔδουcι I, 1, 8 de tristitia et maerore dictum, ut ι 75 ὁμοῦ καμάτῳ τε καὶ ἄλγεcι θυμὸν ἔδοντες, cfr. κ 379 et Ω 129 et adiectivum θυμοβόρος H 207; ὄλβον ὀπάζειν I. 1, 9 (cfr. c 19 ὄλβον δὲ θεοὶ μέλλουcιν ὀπάζειν), ἶcα cum dativo consociatum I. 1, 13, ut E 71. O 439 ἶcα φίλοιcι τέκεccι (τοκεῦcι), ἐπίηρα φέρειν ib. 22 (cfr. A 572. 578. γ 164. π 375. c 56). Denique invenimus epitheta ab Homero saepissime iterata ἀμύμων Th. 3, αἰνός I. 1, 4, ἁπαλός ib. 17 de Atae pedibus (cfr. T 91 πρέcβα Διὸς θυγάτηρ Ἄτη . . τῆς μέν θ' ἁπαλοὶ πόδες), μάκαρ ib. 4 de dis dictum, θαρcαλέος ib. 6, κρείων ib. 21 de Iove deorum rege, ὀτρηρός Th. 2, κλυτός A. 1, 2, ἐυκνήμις Th. 17, κραναός M. 5, Th. 13, τρηχύς M. 3, εὐπατέρεια Ph., de Minerva dictum (cfr. Z 292. λ 234. χ 227).

Epigrammatum quamquam argumenta nihil commune habent cum Homeri carminibus, in dictione tamen haud pauca

insunt, quae Homeri non modo legendi diligentiam, sed etiam imitandi studium testatum faciant.

Dialecto quidem Rhianus non integra nec constanti usus est epica, cum saepius doricas formas orationi inmiscuerit, sed Homericam speciem et originem facile animadvertes in horum vocabulorum formis: τόccov .. ὅccov 2, 3, ἐν εἴαρι 11, 3, ἄνθεα εἰαρινά 2, 4, cτεινῆc 4, 2, τρηχείην 11, 1, ἄccov 4, 5, τηλόθι ibid., πολλάκι 8, 2; nec minus in declinationum formis his: Ἀcκληπιάδεω 9, 1, Λεπτίνεω 3, 7, θεῇ 8, 5, ῥοδέῃcιν 4, 3, ἀτραπιτοῖο 4, 1, χέρεccιν 4, 3 et χείρεccι 6, 3, κατ' ἐμεῦ 11, 1; et in verborum formis χεῦαν 1, 1, χευαμένη 8, 2 (cfr. C 24. ω 317), κιόντι 4, 1, θῆκεν 8, 5, μόλοιτε 3, 11, ἀμφιτέθηλε 3, 6 (de quo verbo composito cfr. adiectivum Homericum ἀμφιθαλήc X 496), ἐccί 1, 3. 4, 4. Ex praepositionibus affero ποτί 3, 3. 4, 3 et κατά per tmesin a verbo χέω separatum 1, 1 κατὰ γλυκὺν χεῦαν ἔλαιον, quod plane Homerico more dictum est, quamquam Ψ 282 ὑγρὸν ἔλαιον χαιτάων κατέχευε tmesis omissa est. Particularum abundantiam hanc ἦ ῥά νύ τοι 4, 1 eandem fere legimus Μ 162 Ζεῦ πάτερ, ἦ ῥά νυ καὶ cὺ φιλοψευδὴc ἐτέτυξο, et ἆ φίλοc 4, 6 ductum est ex Homerico ἆ δειλέ Λ 441. 452, Π 837 al.

Vocabula porro ex Homero desumpsit haec: ἀτρεκέωc 10, 2, ὑcτάτιοc 2, 2, ἀμογητί 6, 3 (cfr. Λ 637), ἀτραπιτόc 4, 1 (cfr. ν 195), γωρυτόc 7, 3 (cfr. φ 54), πλόκαμοc 8, 2 (cfr. Ξ 176), ἀναcτενάχω 5, 3 (cfr. Ψ 211), κνώccω 1, 2 (cfr. δ 809), πέμπειν pro ἀποπέμπειν 7, 6 (cfr. ο 74. Ω 430, quos locos iam Saalius p. 83 indicavit). οὐράνιοc, quod hymn. Cer. 55 proprie positum est: τίc θεῶν οὐρανίων, translate de venustate usurpavit: οὐρανίη χάριc 3, 6; ἀκηράcιοc, quod ι 205 ἡδύν, ἀκηράcιον, θεῖον ποτόν de vino, hymn. Merc. 72 βοcκόμεναι λειμῶναc ἀκηραcίουc de pratis dicitur, per metaphoram traduxit ad iuventutis florem 3, 4 γυίων ἄνθοc ἀκηράcιον, et hoc ipsum γυίων ἄνθοc dictum est ad similitudinem Homerici ἥβηc ἄνθοc Ν 484. ἄνθεα εἰαρινά 2, 4 reperimus. etiam Β 89, et ταὶ λιπαραὶ Χάριτεc 4, 2 originem ducere videtur ex C 382 Χάριc λιπαροκρήδεμνοc· prorsus vero Homero debetur ἀγαθὴ κουροτρόφοc 2, 1 de Troezene dictum, cfr. ι 27; etiam θαλαμηπόλοc, qua voce 8, 1 sacerdotem Cybeles significat, repetiit ex η 8. ψ 293, ubi sensu

proprio servam cubiculariam indicat. Vt Homerus O 444, φ 12. 60 φαρέτρην ἰοδόκον, sic Rhianus τόξον ἰοβόλον 7, 1 appellavit, et haec salutandi formula 4, 5 τηλόθι μοι μάλα χαῖρε ex illo fluxit: cfr. Ψ 19. 179 χαῖρέ μοι, ὦ Πάτροκλε, θ 413 καὶ cύ, φίλος, μάλα χαῖρε, ν 59. ω 102. Denique δι' ἀτραπιτοῖο κιόντι 4, 1 haud aliter dictum est atque διὰ νήcου ἰών μ 335, διὰ νηὸc ἰών μ 206.

III.

Hoc quidem studiorum Homericorum genus, quod modo adumbravi, poetam potissimum prodit, qui nihil antiquius habuerit, quam ut suam eloquentiam ad summum auctorem epici dicendi generis conformaret: nunc transeamus ad studia ea, quibus grammaticum et criticum se praestitit. Frequenti enim et accurata Homeri lectione eo adductus est, ut — in hac quoque re aevi sui consuetudinem et rationem secutus — textum vetustis corruptelis vitiatum emendare conaretur, cui negotio tam diligenter operam dedit, ut post Zenodotum[16]) primus novam recensionem sive διόρθωcιν conficeret. Sic enim constans scholiastarum dicendi usus explicari iubet lectiones saepius in scholiis Rhiani nomine significatas et locutiones illas ἡ Ῥιανοῦ et ἡ κατὰ Ῥιανόν, quae in scholiis ad A 97. 553 et ad Ω 85. α 95, locis aliis leguntur.

Duo autem extant scholia, ex quibus duas vel etiam plures recensiones a Rhiano paratas esse facile quis efficere potuerit, praesertim cum Aristarchum quoque duplicem recensionem fecisse sciamus.[17]) Pluralis enim numerus positus est schol. ad γ 24 οἱ κατὰ Ῥιανόν, ubi Mauricius Schmidtius Didymi p. 189 αἱ pro οἱ reposuit, et schol. ad γ 178 αἱ Ῥιανοῦ γράφουcι. Quamquam de

---

16) Primum eum dixi post Zenodotum fecisse editionem, quia neque Eratosthenem neque Apollonium Rhodium, qui inter Zenodotum et Rhianum intercedunt, editiones confecisse constat.

17) Hoc evicit Lehrsius Arist. p. 27 (ed. pr.) contra Wolfium, qui proleg. p. 237 negaverat. Cfr. Sengebuschii Hom. diss. I p. 25.

horum locorum integritate addubitare vix licet, tamen ne duplicem Rhiani recensionem statuamus plures obstant causae. Etenim inter quinque et quadraginta versus, in quibus Rhianeae lectiones ad nos pervenerunt, duo id prodere videntur, neque aliud est veteris scriptoris testimonium, quod huic opinioni faveat. Praeterea vero, id quod etiam gravioris momenti est, duas recensiones si Rhianus instituisset, posteriorem a priore dissentire aliquot locis necesse erat: aliter enim hanc iteravisset, non novam fecisset. Quodsi utriusque editionis lectiones aliquot versibus inter se discrepabant, nemo non concedet, non eas lectiones, quae utrique communes essent, sed eas potius, quibus inter se differrent, scholiastis notandas fuisse.

Verum hae difficultates, quae plures Homeri recensiones Rhiano tribuentibus nobis obsistunt, facillima opera removentur, si formulis αἱ Ῥιανοῦ et αἱ κατὰ Ῥιανόν exemplaria indicari principalis editionis Rhianeae a librariis multiplicatae intellegimus. Quae interpretatio non inaudita est neque exemplorum auctoritate destituta; in tanta enim multitudine locorum, in quibus scholiastae editionem Aristophanis Byzantii commemorant, bis tantummodo (ad Θ 513 et ad ε 83) plurali numero αἱ Ἀριστοφάνους legitur. Iam cum una fuerit Aristophanis editio (cfr. Guil. Dindorfii schol. ad Odyss. II p. 250), aut librarium aliquem erravisse aut exemplaria intellegi Aristophaneae editionis iudicandum est. Priorem viam Aug. Nauckius Arist. Byz. p. 21 not. 3 ingressus utrobique, violenter id quidem, ἡ pro αἱ correxit, ego alteram interpretationem antepono, quam etiam Sengebuschius Hom. diss. I p. 48 protulit.[18])

Haec una igitur Rhiani editio Iliadem et Odysseam continuit, cetera carmina, quae vulgo Homeri nomine ferebantur, non adiuncta erant. Vnde haud scio an recte conicias, accessisse eum ad sententiam Zenodoti, qui quaecunque praeter Iliadem et Odysseam Homero attribuebantur, ab eo abiudicaverat. Hoc autem si recte se habet, in Rhiani quoque editione utrumque carmen in vicenos quaternos libros divisum fuisse veri simile est, quam quidem divisionem a Zenodoto primo institutam esse constat.

---

18) Suffragatus est etiam La Rochius Hom. Textkritik p. 54 not. 82.

Huc pertinet Wolfii coniectura quaedam, quae non silentio praetermittenda, sed paucis verbis refellenda est. Qui cum proleg. p. 188 dicat: 'ne tantum quidem reliquum habemus ex Arati editione Odysseae, cui ut Iliada adderet, a plurimorum corruptelis liberatam, invitatus fuisse dicitur a rege Syriae, Antiocho Sotere. Quod cum exitum non habuisset, si bene coniicimus, eam operam suscepisse videtur Rhianus' cet., satis aperte indicat idcirco Rhianum ad Iliadis editionem aggressum esse, quia consilio Arati tanquam hereditate suscepto ea, quae is incertum qua de causa perficere non potuisset, ad finem esset perducturus. Sed haec coniectura neque ullo sustinetur indicio et reicitur eo, quod non Iliadis modo, verum etiam Odysseae a Rhiano nova editio curata est, qua profecto omnino opus non fuisset, si nihil ille aliud egisset, quam ut quae Aratus incohata reliquerat perficeret. Neque vero alia de causa Wolfium in hanc coniecturam incidisse puto, nisi quod scholiis in Odysseam ea aetate non iam in lucem editis solam Iliadem a Rhiano ad rationem criticam revocatam esse opinaretur. Ceterum eadem opinio tenuit etiam Siebelisium p. 9. 10, quamquam is quidem scholiorum in Odysseam editionem Buttmannianam novisse iam poterat.

Quamdiu recensio Rhianea grammaticorum manibus trita fuerit, etsi numeris definiri nequit, tamen scholiasta duce id certe temporis spatium designare possumus, quo iam interiisse eam compertum habeamus. Nam cum ex ceterorum librorum eius generis sorte veri simile sit[19]), eam brevi tempore oblitteratam eiusque memoriam nisi commentariis Aristarchi et Aristarcheorum ad posteros non propagatam esse, tum vero Didymo, qui sub Augusto imperatore fuit, non licuisse eam inspicere, non sine pro-

19) Nam ne Zenodoti quidem principis illius grammaticorum editionem ante oculos habuisse Didymum aut Aristonicum demonstravit Beccardus l. l. p. 52, idemque cadit non modo in Aristophanis, sed etiam in omnium grammaticorum editiones, qui ante Aristarchum Homero operam dederunt; nam Aristarchus adeo horum omnium gloriam obscuravit, ut libri eorum brevi tempore ex usu et manibus hominum evanescerent. Cfr. etiam pp. 53. 54 sqq., ubi Beccardus aptissime observavit, in scholiis, ubi de horum lectionibus traderetur, plerumque aut imperfectum aut plusquamperfectum, contra praesens tempus positum esse, ubi Aristarchi lectiones proponerentur. Cfr. La Rochius l. l. p. 50.

babilitate concluditur ex scholio ad Ψ 81, ubi Didymus Rhianeae lectionis testem laudat Clearchum quendam glossographum.[20]) Scholion autem hoc est: εὐηγενέων· Ἀριστοφάνης καὶ Ῥιανὸς εὐηφενέων, εὖ τῷ ἀφένῳ χρωμένων, ὡς Κλέαρχος ἐν ταῖς γλώτταις. Iam facile quispiam crediderit, Clearchi mentionem non ad lectionem illam, sed ad solum interpretamentum, quod adiectum est, pertinere; at cur Didymus, homo suae aetatis longe eruditissimus, in hac re ad Clearchi doctrinam confugere debuerit, non satis intellegitur, cum adiectivi εὐηφενής origo et notio non ea sit, quae difficile perspiciatur: accedit quod hanc vocem, quae solitaria est neque apud alium scriptorem obvia, aliunde Clearchus petere vix poterat quam ex Rhiani Aristophanisque editionibus ideoque hunc locum eius glossae fontem indicari necesse erat.

IV.

Iam disputaturi de subsidiis doctrinae studiorumque adminiculis, quibus in opera critica exercenda Rhianus usus sit aut certe videatur usus esse, tantum abest ut certi quicquam de hac re traditum deprehendamus, ut sola coniectura nitamur oporteat. Sed ne coniectura quidem sperare licet nos tam probabilia assecuturos esse, ut nihil resideat dubitationis, atque eadem in Rhianum cadunt, quae de Aristophane Byzantio, cuius tamen ex lectionibus multo maiorem numerum scholiastae servaverunt, Aug. Nauckius Arist. Byz. p. 20 dicit: 'conquerimur illud, quod scholiastae in nudis lectionibus memorandis solent acquiescere, rationibus aut omissis aut licenter effictis. Quamvis igitur plurimae nobis cognitae sint Aristophaneae editionis lectiones, eae tamen utrum coniecturae sint an vetustiorum exemplarium fide nitantur, proditum fere nusquam legimus, interdum divinando assequimur,

20) De hoc Clearcho vide Maur. Schmidtium ad Hesych. s. v. μήτρα. 'καὶ ὁ κλῆρος. ὑπὸ Σόλεων. ὡς Κλείταρχος. Sed hoc rectius fortasse ex Clitarchi linguis desumptum putes, nisi pro Κλείταρχος rescribendum erit Κλέαρχος, quem Solis urbe Cypri oriundum fuisse et glossemata conscripsisse ex Athenaeo VIII p. 345, XI p. 486 et Schol. Venet. Ψ 81 cognovimus. Cfr. Etym. M. s. v. βρόθχος et p. 221, 32. 111, 9.'

saepius nescimus.' Nam inter quadraginta quinque lectiones Rhiani, quas scholia continent, triginta solius Rhiani nomine significatae sunt. Quas utrum e coniectura posuerit an aliunde susceperit, pro certo affirmari neutiquam potest; eas autem lectiones, quas cum vetustiore aliqua editione communes habuisse traditur, num ex hac ipsa hauserit, facile in dubium vocari possit, quoniam nec planis verbis proditum sit nec cum argumentandi necessitate possit evinci. Nonne enim fieri poterat, ut alius veteris exemplaris auctoritati, cuius scholiasta nescio qua de causa mentionem non fecit, illam lectionem deberet? Et huius modi etiam alia multa excogitari possunt, quae cum lectionum consensu non pugnent.

Sed ut aliquatenus certum fundamentum disputationi substruerem, hanc mihi scripsi legem, ut quae ipsorum scholiorum indiciis argui viderentur neque aliis rationibus dubitationi obnoxia essent, ea si non pro exploratis haberem, at certe ad veri similitudinem quam proxime accedere existimarem. Quocirca ubicunque scholiasta praeter Rhianum nullius grammatici nomen lectioni apposuit, illum coniectando eam invenisse meliore iure iudicare mihi videor, quam si ex antiqua editione eum hausisse arbitrari velim. Vbi autem Rhianus cum alius grammatici recensione conspirat, pro aetate qua suam quisque recensionem confecit, aut Rhianum illius aut illum Rhiani lectionem approbasse, approbatam recepisse censeo, nisi vetusta documenta, quae dissuadeant, inveniantur. Ita Rhianum Π 559. Ω 85. Ζ 10 alios versus, ubi solum ipsius nomen fertur, coniciendo emendavisse probabile est; Α 97 lectionem ex Massiliensi, Φ 607 ex Antimachea editione suscepisse mihi videtur, propterea quod hae editiones ante eum paratae inspici ab eo poterant; sed Τ 41. Υ 188 aliis in versibus Aristophanem Byzantium Rhiani emendationem secutum esse censeo, quia Rhianum ante illum in Homeri carminibus operam criticam collocavisse ex iis consentaneum est, quae de vita et aetate eius supra disserui.[21])

Hac igitur iudicandi lege ac norma constituta explorare licet, quas editiones Homericas Rhiani apparatus criticus continuerit.

21) Nauckius quidem, ubi de lectionibus Rhiano et Aristophani communibus disputat, videtur existimare, post Aristophanis curas Rhianum Homeri recensionem instituisse, quippe quem suffragatum esse dicat illius emendationibus.

1. Ac fundamentum quidem recensionis eius Zenodoteam editionem fuisse proclive est suspicari, ita quidem, ut ab ea non recederet, nisi cum meliorem lectionem aut in vetustiore exemplari invenisse aut ipse excogitasse sibi videretur. Etenim potuisse Rhianum hanc editionem ante oculos habere negare quis audebit? habuisse vero illam et in usum suum convertisse, ex scholio ad Υ 331 patet: καί μιν φωνήςας· παρὰ Ζηνοδότῳ καί μιν νεικείων, παρὰ Ῥιανῷ τὸν καὶ νεικείων, ubi ex Zenodoto pendere Rhiani emendationem neminem fugere potest. Atque etiamsi hoc testimonio careamus, nonne per se veri simile est et ipsius rei naturae consentaneum, postquam Zenodotus in Homericis carminibus emendandis primus rationem quandam et artem criticam adhibuisset, grammaticos, qui post eum in hoc studiorum genere elaborarent, ab iis profectos esse, quae iam a Zenodoto inventa et in medium prolata essent, et ita in textu emendando se gessisse, ut pro fundamento suarum recensionum illius editione uterentur? Aristarchi quidem recensionis fundum fuisse Aristophaneam si minus certum, at perquam probabile est: cfr. Beccardus l. l. p. 49 n. 12. Sengebuschii Hom. diss. I p. 25. Sed haec quamquam ita se habent, tamen hanc sententiam prorsus veram esse contendere non ausim, quippe cui id potissimum obstet, quod Zenodotus, qui satis audacter egit in versibus damnandis, multos versus in recensione sua omnino neglexit, qui in Rhianea fuisse putandi sunt: itaque tutius erit nihil amplius affirmare, quam Rhianum illius recensionem celeberrimam inspexisse.

2. Alteram editionem, qua Rhianum usum esse credibile est, ea fuit, quae Pisistrati iussu parata et vetustis Ionicis elementis (ἡ ἀρχαϊκὴ cημαcία) scripta erat. Constat enim fuisse eam in apparatu critico, qui Zenodoto praesto esset. Proditur porro certis indiciis, eandem etiam Aristarchum admovisse ad suam recensionem instituendam. Quamobrem cum inde ab eo tempore, quo Zenodoto eam adire licuit, usque ad Aristarchi aetatem in bibliotheca Ptolemaeorum esset, Rhianus quidni ad eam accederet, praesertim cum ob summam vetustatem ad textus Homerici emendationem gravissimi momenti esset et ob raritatem sine dubio etiam maius excitaret grammaticorum desiderium? Sed quid moror in demonstranda probabilitate, cum perspicua exstent indicia, inspexisse Rhianum eandem editionem Pisistrateam, quae Aristarcho

postea ante oculos esset? Hoc enim evidenter admodum ex eo elucet, quod A 553 uterque propter digammi inscientiam in eandem falsam Ionicae scripturae interpretationem inciderunt, de quo loco infra uberius exponemus. Documento sunt aliae quoque lectiones Rhianeae, quae quo modo natae sint, commodissime ita explicamus, ut veterum elementorum ductus, scriptos fortasse minus distincte aut temporis decursu laesos variam interpretationem admisisse statuamus. Tres ex hac editione lectiones videtur suscepisse, quae proximo capite tractabuntur.

3. Sequitur editio Antimachi, poetae Colophonii, qui Platonis aequalis plus centum annis ante Rhianum erat; ex ea hausit Φ 607.

4. Chiae editionis exemplari usus est, cum semel (Υ 188) hanc secutum esse eum reperiamus.

5. Massiliensem editionem, ex qua Rhianum lectionem A 97 deprompsisse iam supra commemoratum est, etiam Π 59 ceteris anteposuit.

6. His fortasse subiungere licet urbicam editionem Cretensem (cfr. La Rochius Textkr. p. 20): nam cum illis iam temporibus vigente libraria quadam mercatura haud dubie exemplarium copia esset apud litteratum quemque (vide Wolfium prol. p. 169), cur non putemus possedisse Rhianum, ut hominem Cretensem, illius editionis exemplar? Sed cum eam nullo loco secutus esse videatur, nihil attinet hoc suspicari.

Haec fere sunt, quae de critici nostri subsidiis doctrinae ex scholiis eruere possimus. Fortasse licuit ei etiam alia adire, cum bibliotheca Alexandrina Homericis a grammaticis illo tempore administrata procul dubio iis scriptis, quae ad Homerum pertinerent, instructissima esset; sed ultra haec divinando procedere in hac veterum testimoniorum penuria periculosum est.

V.

Accedamus nunc ad caput gravissimum et in quo uberrima nobis sit disputandi materia: nam quo rectius intellegatur, qua ratione Rhianus his in instrumentis criticis adhibendis egerit,

lectiones eius editionis, quae in scholiis exstant, ita in examen vocandae sunt, ut quas causas ille mutandi habuerit et quid recte quidve falso mutaverit, investigare conemur. Sunt autem non plus quadraginta quinque, quas paucis exceptis[22]) omnes debemus Didymi libris de Aristarchi recensione Homerica et commentariis Homericis.[23])

Atque hic quidem ordo servabitur, ut primum ἀθετήϲειϲ i. e. versus a Rhiano eiecti, deinde lectiones ex vetustis exemplaribus susceptae, denique Rhiani coniecturae percenseantur.

1.

Notum est[24]) Zenodotum primum obeli signo critico usum esse, ut versus spurios sive subditicios (ἀθετούμενα, νενοθευμένα, ὑποβεβλημένα) videri declararet; alios tam indignos habuit Homeri ingenio vel tam alienos a sententiarum nexu, ut ne reciperet quidem in recensionem suam, de quibus scholiastae adnotare solent οὐδὲ ἔγραφεν. Iam Rhiani nisi tres atheteses non traditae sunt, cumque in scholiis his versibus ascriptum sit ἐν τῇ Ῥιανοῦ οὐκ ἦϲαν vel οὐκ ἐφέροντο, abstinuisse videtur ab obeli usu.

1 C 10. 11. Occiso Patroclo Antilochus ad Achillem missus, cui luctuosum nuntium afferat, hunc maestitia afflictum, mala animo praesagientem invenit: nam cum Achivos a Troianis repulsos viderit et in fugam coniectos, subito ei in mentem venit eorum,

---

22) Maur. Schmidtius Didymi p. 116—211 omnes lectiones ad Didymum refert praeter α 124. 297. δ 12. 158. 702, quae cum a Dindorfio demum publici iuris factae sint, ei nondum innotuisse videntur.

23) Haec paucitas lectionum explicatur his verbis La Rochii l. l. p. 58 sq.: 'Didymus kannte diese Ausgaben nur aus den Schriften des Aristarch und der übrigen älteren Alexandriner, daher er sich auch oft sehr unbestimmt ausdrückt, wie ἔνιοι, τινέϲ, ἄλλοι, χαριέϲτεροι u. s. w., wenn bei diesen die Quellen nicht bestimmt angegeben waren. Wäre Aristarch mit der Genauigkeit zu Werke gegangen, mit der man heut zu Tage zu verfahren pflegt, so wüssten wir gewiss, was an jeder einzelnen Stelle in den Ausgaben von Massilia, Chios oder in denen des Rhianus, Zenodot und Aristophanes gestanden hat, so aber gibt er mit seltenen Ausnahmen blos da genau die Quellen an, wo er mit einem Theil der Ausgaben nicht übereinstimmt.'

24) Cfr. Beccardus l. l. p. 49. La Rochius l. l. p. 50.

quae Thetis quondam ei vaticinata est, fortissimum Myrmidonum, dum ipse vivat, periturum esse, et Patroclum fato abreptum esse suspicatur:

μὴ δή μοι τελέcωcι θεοὶ κακὰ κήδεα θυμῷ,
ὥc ποτέ μοι μήτηρ διεπέφραδε καί μοι ἔειπεν,
Μυρμιδόνων τὸν ἄριστον, ἔτι ζώοντος ἐμεῖο,
χερcὶν ὕπο Τρώων λείψειν φάος ἠελίοιο.
ἦ μάλα δὴ τέθνηκε Μενοιτίου ἄλκιμος υἱός.

In his Rhianum et Aristophanem [25]) versus 10 et 11 eiecisse cod. A testatur, cumque ceteri quoque codices largam scholiorum copiam exhibent, quae omnia versentur in horum versuum difficultatibus enodandis, et magnam de iis inter nonnullos grammaticos controversiam olim fuisse patet et quibus illi causis ad athetesin commoti fuerint, satis perspicuum est. Cum autem omnem scholiorum seriem hic subicere longum sit, ea tantum eligam, quae potissimum in iis veteres reprehenderint quaeque iam antiquitus ad eos defendendos prolata sint. Schol. A: Ἐν τῇ Ῥιανοῦ καὶ Ἀριστοφάνους οὐκ ἦcαν οἱ β΄, ἴcωc ἐπεὶ οὐκ ἦν Μυρμιδὼν ὁ Πάτροκλος· Λοκρὸς γὰρ ἦν ἐξ Ὀποῦντος. δεῖν δέ φηcιν ὁ Ἀρίσταρχος οὕτως αὐτὸν παραδέχεcθαι, τὸν μετὰ τὸν ἄριστον [26]) τῶν Μυρμιδόνων. καὶ κατά τινας δὲ τῶν μεθ᾽ Ὅμηρον Ἄκτωρ ὁ πατὴρ τοῦ Μενοιτίου λέγεται λαβεῖν Αἴγιναν, ἐκ ταύτης δὲ γενέcθαι Μενοίτιον καὶ οἰκῆcαι ἐν Ὀποῦντι· οὕτως οὖν γίνεται τὸ ἀνέκαθεν Μυρμιδὼν ὁ Πάτροκλος. δύναται δὲ καὶ ἑτέρως Μυρμιδὼν ὁ Πάτροκλος λέγεcθαι διὰ τὸ μετὰ τὸν Ἀχιλλέα ἡγήcαcθαι τῶν Μυρμιδόνων cet. Similia praebet cod. B, praeterquam quod de diverso comparativi et superlativi usu nonnulla exposita sunt, quae non operae pretium est ascribere. Praeterea habet A, quae ad Aristarchum revocanda sunt: ἡ διπλῆ πρὸς τὸ ἀμφίβολον, πῶς Μυρμιδόνων ἄριστον λέγει τὸν Πάτροκλον

25) Duentzero Zenodoti p. 176 not. 41 si credimus, Zenodotus in his versibus resecandis iam praeiverat.

26) Haec verba Mauricius Schmidtius mihi significavit optime emendari hunc in modum: δεῖν δέ φηcιν ὁ Ἀρίσταρχος οὕτως παραδέχεcθαι· τὸν μετ᾽ αὐτὸν ἄριστον τῶν Μυρμιδόνων. Primum enim aegre invenies, quo illud αὐτόν referas; deinde vero satis dura offendimur constructione, cum ad τόν supplendum sit ἄριστον, ut plene sic legas: τὸν μετὰ τὸν ἄριστον τῶν Μυρμιδόνων ἄριστον.

Λοκρὸν ὄντα. Denique scholion codicis V: τὸν ἐν Μυρμιδόϲιν ἄριϲτον. ἐνηρίθμητο γὰρ αὐτοῖϲ, εἰ καὶ Λοκρὸϲ ἦν, ibidemque: δύναται δὲ Μυρμιδόνων λέγειν τὸν ἄριϲτον οἷον τῆϲ Μυρμιδόνων ϲτρατιᾶϲ. διὸ καὶ ἄριϲτον, οὐ κρείττω εἶπεν. Ex his intellegimus, duplicem veteribus fuisse offensionem in versibus istis: alteram quod Patroclus, e Locride Opuntia oriundus, Myrmidonum genti adnumeraretur, alteram quod ab ipso Achille, qui solus ea appellatione videretur dignus esse, Myrmidonum fortissimus appellaretur. At haec argumenta iam in scholiis recte infirmata sunt. Nam Patroclus, cum inde a primis pueritiae annis non solum educationis communione, verum etiam intima familiaritate et fraterno quodam amore cum Achille coniunctus esset et una cum amico eiusque exercitu pugnaret et in extremo certamine ducis munere fungeretur, quidni Myrmidonum esse dici posset? Deinde vero cum Thetis ad Achillem locuta verbis ϲεῖο ζώοντοϲ hunc exceperit, consentaneum est, Achillem cogitari non posse, sed eum, qui ipso excepto inter reliquos Myrmidones fortissimus sit, ut aptissime Aristarchus observavit τὸν ἄριϲτον hoc loco esse id quod τὸν μετ' αὐτὸν ἄριϲτον. Denique peropportune meditata est haec orationis ambiguitas et apposita ad vaticinationis obscuritatem, ut adnotatur in cod. B: πιθανὸν δὲ τὸ μὴ ὀνομαϲτὶ περὶ Πατρόκλου προειρηκέναι τὴν Θέτιν· καὶ γὰρ ὁ τῶν χρηϲμῶν χαρακτὴρ τοιοῦτοϲ, ἐχόμενοϲ τοῦ ἀμφιβόλου, et in cod. A: χαρίεν τούτῳ τῷ τρόπῳ προειπεῖν τὴν Θέτιν· οὐ γὰρ ἐβούλετο τὸ μέλλον ἐπιτελεϲθῆναι πάντωϲ ἐκ πολλοῦ προειποῦϲα λυπεῖν τὸν υἱόν. ἐπίτηδεϲ δὲ εἰπεῖν τὸ Μυρμιδόνων τὸν ἄριϲτον, ἵνα μὴ φανερῶϲ εἴπῃ τὸν Πάτροκλον. Quare Rhianus si nullis aliis causis nixus est, satis temere et inconsiderate egit, praesertim cum ne antecedentia quidem verba intacta reliquisse putandus sit: nam cum salva orationis continuatione hi duo versus exterminari non possent, clausulam versus 9 ita mutare necessario coactus erat, ut mutilatae orationis species plane evanesceret; ac forsitan mutationis eius vestigia indagari possint in scholio ad v. 9: διεπέφραδε καί μοι ἔειπεν· ὅμοιόν ἐϲτι τῷ «ἔποϲ τ' ἔφατ' ἔκ τ' ὀνόμαζεν» (B), quae verba dicta esse videri possunt ad refellendum editorem aliquem, qui hanc locutionem mutaverat. Verum mihi etiam aliam eamque graviorem athetesis causam Rhianus habuisse videtur, quam Duentzerus in edit. ad h. l. paucis indicavit:

refragantur enim illi versus loco P 408 sqq., ubi Thetis aperte negatur filio mortem Patrocli praedixisse: πολλάκι γὰρ τόγε (scil. se ante interitum Troiae periturum esse) μητρὸς ἐπεύθετο νόσφιν ἀκούων, ἥ οἱ ἀπαγγέλλεσκε Διὸς μεγάλοιο νόημα. δὴ τότε γ' οὔ οἱ ἔειπε κακὸν τόσον, ὅσσον ἐτύχθη, μήτηρ, ὅττι ῥά οἱ πολὺ φίλτατος ὤλεθ' ἑταῖρος. Hac igitur repugnantia si poetam liberare voluit, facere non potuit, quin alterutro loco complures versus eiceret: eiecit autem C 10 et 11, quia mirum esse debuit, quod Achilles, cum amicum suis armis instructum cum Myrmidonibus in pugnam ire pateretur, eorum quae Thetis quondam praedixerat, non recordatus erat. Sed tum eodem iudicio damnavit etiam v. 409, quo matris vaticinatio indicatur, ut in scholio pro οὐκ ἦσαν οἱ β' corrigendum sit οἱ γ'; quamquam hanc rem ut parum certam in suspenso relinquere tutius erit.

δ 158—160. Helena Telemachum, qui Spartae cum Pisistrato 2 hospitio acceptus est, conspicata statim propter miram eius cum patre similitudinem eum Vlixis filium esse conicit; cui coniecturae Menelaus plane assentitur, quia ipse Vlixis mentione facta hospitem lacrimas fundentem vidit. Tum vero Pisistratus Telemachi suumque nomen non amplius tacendum esse ratus haec dicit:

156 Ἀτρεΐδη Μενέλαε διοτρεφές, ὄρχαμε λαῶν,
κείνου μέν τοι ὅδ' υἱὸς ἐτήτυμον, ὡς ἀγορεύεις·
ἀλλὰ σαόφρων ἐστί, νεμεσσᾶται δ' ἐνὶ θυμῷ
ὧδ' ἐλθὼν τὸ πρῶτον ἐπεσβολίας ἀναφαίνειν
160 ἄντα σέθεν, τοῦ νῶι θεοῦ ὣς τερπόμεθ' αὐδῇ.
αὐτὰρ ἐμὲ προέηκε Γερήνιος ἱππότα Νέστωρ
τῷ ἅμα πομπὸν ἕπεσθαι· ἐέλδετο γάρ σε ἰδέσθαι cet.

Ad haec adnotata sunt: οὐκ ἐφέροντο ἐν τῇ Ῥιανοῦ οἱ τρεῖς στίχοι (H), eiusque athetesis causae sine dubio declarantur hoc scholio altero: ἀλλὰ σαόφρων· παρὰ τὰ πάτρια καὶ οὐχ ἁρμόττοντα τῷ Πεισιστράτου προσώπῳ· καὶ τὸ νεμεσσᾶται ἀντὶ τοῦ αἰδεῖται οὐχ Ὁμηρικῶς. καὶ αἱ ἐπεσβολίαι γελοῖαι. ὅθεν Ζηνόδοτος μεταποιεῖ· ἐπιστομίας ἀναφαίνειν (Q). Cum autem ex tertio scholio eisdem his versibus ascripto: ἀθετοῦνται πέντε στίχοι ὡς περιττοὶ καὶ ὑπὸ νέου παντάπασι λέγεσθαι ἀπρεπεῖς. (H Q). ἄλλως τε οὐδὲ συμβουλευσόμενος τῷ Μενελάῳ πάρεστιν, ἀλλ' εἴ τινα κληηδόνα πατρὸς ἐνίσποι (Q) cognoscamus, alios quoque grammaticos, in his Aristarchum, cuius obeli his verbis ab

Aristonico explicantur, hoc loco offensos quinque versus pro subditiciis habuisse, videntur praeter tres illos versus a Rhiano damnatos etiam 161 et 162 eiecisse. Sed hanc rationem iam Nitzschius Anm. zu Hom. Od. I p. 247, qui huius loci integritatem sagaciter defendit, inprobavit, et quamquam ei primum de Rhiano scholion incognitum erat, non quinque sed tres versus eiectos esse coniecit, cui sententiae accessit Guil. Dindorfius, qui in schol. ed. γ′ reposuit. Contra oblocuti sunt Rumpfius de γαμοποιίᾳ Menelai p. 4 not. 5 et Henningsius Telem. p. 184, qui iisdem fere argumentis ac Nitzschius usi, cum scholion tertium ad versus 158—162 pertinere negarent, potius versus 163—167 ab Aristarcho amotos esse putaverunt. De Rhiano autem tacuerunt, nisi quod Henningsius ut grammaticum et poetam Cretensem parum cognitum obiter eum commemoravit. Sed haec utcunque se habent — nam mihi quidem horum sententia non tam certa est quam Ameisio, qui in appendice ad Odyss. δ 158 eam prorsus comprobavit[27]) — non est, cur traditae codicum memoriae diffisi a Rhiano alios versus quam 158—160 exterminatos esse statuamus. Nam primum facile e sententiarum ordine et nexu amoveri possunt, nec quicquam ad integritatem orationis deest, cum κείνου μέν τοι ὅδ' υἱὸς ἐτήτυμον, ὡς ἀγορεύεις et αὐτὰρ ἐμὲ προέηκε Γερήνιος ἱππότα Νέστωρ satis apte inter se conectantur: frequentia enim sunt exempla particularum μέν τοι (vel μέν) et αὐτάρ inter se oppositarum, ut δ 411 φώκας μέν τοι πρῶτον ἀριθμήσει καὶ ἔπεισιν· αὐτὰρ ἐπὴν πεμπάσσεται cet., Α 51. 127. 331 et 333. Β 48 et 50. 102. 405. Γ 16. 68 aliis locis. Praeterea vero causas in scholio altero prolatas perspicuum est nisi ad hos versus omnino non quadrare, id quod etiam Henningsius con-

---

27) Nam quod Rumpfius primum argumentum proponit, versus 158—162 ex oratione amoveri non posse, quia versus 157 et 163 coniungi nequeant, hoc per se quidem concedi debet, at infringitur, ubi Aristarchum eosdem tres versus quos Rhianum eiecisse putamus. Deinde quod dicit causas suspitionis in scholio tertio adiectas in versus 163—167, non in versus 158—162 quadrare, obicere licet, verba ὑπὸ νέου παντάπασι λέγεσθαι ἀπρεπεῖς spectare ad Pisistrati verba ἀλλὰ σαόφρων ἐστί, quae iuvenem de iuvene loquentem videri possunt vix decere, et idem fere esse atque οὐχ ἁρμόττοντα τῷ Πεισιστράτου προσώπῳ, quae in altero scholio leguntur.

cessit; denique cum iam Zenodoto, qui ἐπιστομίας scripsit, displicuerint ἐπεσβολίαι, quae a scholiasta γελοῖαι appellantur, illius auctoritate et exemplo Rhianus inpulsus esse videtur, ut nisi versibus plane resectis toti loco medellam adhiberi non posse arbitraretur. De causis autem ipsis non opus est pluribus disputare, cum lectores remisisse sufficiat ad ea, quae Nitzschius l. l. verissime monuit.

α 279. In longiore oratione, qua Minerva sub Mentae per- 3
sona Telemachum adhortatur, ut de patris reditu sciscitatum Pylum Spartamque iter faciat, cum alia tum haec suadet:

μνηστῆρας μὲν ἐπὶ σφέτερα σκίδνασθαι ἄνωχθι,
μητέρα δ', εἴ οἱ θυμὸς ἐφορμᾶται, γαμέεσθαι·
ἂψ ἴτω ἐς μέγαρον πατρὸς μέγα δυναμένοιο·
οἱ δὲ γάμον τεύξουσι καὶ ἀρτυνέουσιν ἔεδνα
πολλὰ μάλ', ὅσσα ἔοικε φίλης ἐπὶ παιδὸς ἕπεσθαι.
σοὶ δ' αὐτῷ πυκινῶς ὑποθήσομαι, αἴ κε πίθηαι.
νῆ' ἄρσας ἐρέτῃσιν ἐείκοσιν, ἥ τις ἀρίστη cet.

Schol. ad 279: οὗτος δὲ ὁ στίχος ἐν τῇ κατὰ Ῥιανὸν οὐκ ἦν. H M. Vnus quisque non admonitus errorem in his intellegit esse et verum vidisse Cobetium, cum adnotaret: 'Non videtur omitti posse hic versus. Fortasse igitur loco mota est Rhiani mentio pertinebatque ad v. 283.' Nam aberrasse hoc scholion a recto loco, eo quoque confirmatur, quod ex Dindorfii testimonio in cod. H haec verba versui superscripta sunt a manu secunda, quae spatii rationem habere debebat; sed quod Cobetius de versu 283 cogitat, id mihi parum credibile est, cum multo praestet scholion ad v. 278 referre, quippe qui versum 279 proxime antecedat et sine sententiae incommodo exsulare possit, id quod praeter Imm. Bekkerum etiam Lud. Friedlaendero visum est, qui in Anal. Hom. (Jahrb. f. class. Philol. Suppl. III p. 478) de universo hoc loco prolixius disputavit et in tota Minervae oratione tres diversas recensiones contaminatas esse contendit. Voluit autem Rhianus sine dubio 'molestam illam iterationem' tollere, qua factum est, ut paulo post versus legatur similiter cadens et qui ab eo, quem damnavit, postremis tantum verbis distinguatur: v. 292 πολλὰ μάλ', ὅσσα ἔοικε, καὶ ἀνέρι μητέρα δοῦναι.

2.

Transeamus ad eas lectiones, quas Rhianus ex veteribus libris suscepit. Ac primum quidem locum teneant eae, in quibus haud obscura Pisistrateae editionis vestigia deprehenduntur.

4 ξ 295. In narratione, qua Vlixes, ut Eumaeum de origine sua celet, Cretensem se esse simulat longis erroribus iactatum, dicit se totum annum in Phoenica moratum et postea ab hospite Phoenicio navi inpositum esse, ut in Libyam proficisceretur:

ἐc Λιβύην μ' ἐπὶ νηὸc ἐέccατο ποντοπόροιο.

Schol. Ῥιανόc φηcιν ἐφέccατο, Ζηνόδοτοc ἐφείcατο. H. De structura huius loci non est, quod disputemus, cum ab interpretibus satis explicata neque a Rhiano mutata sit; de vulgata autem lectione animadvertendum est, formam ἐέccατο, de cuius augmento insolito vide Ameisii append., praeter hunc versum nusquam apud Homerum inveniri, id quod in causa fuisse videtur, cur Zenodotus et Rhianus ea offenderentur. Neque vero inprobabile est, et utriusque emendationem et vulgarem lectionem, quam Aristarchus recepit, a Pisistrateae editionis scriptura ΕΦΕCΑΤΟ profectas esse, in qua litteram Φ parum distincte scriptam aut vetustate oblitteratam illi recte interpretati sunt, ceteri perperam pro digammo habuerunt. Rhiani autem lectionem et vulgata ἐέccατο et Zenodotea potiorem esse concedit, opinor, quisquis consideraverit versus I 455 μήποτε γούναcιν οἷcιν ἐφέccεcθαι φίλον υἱόν, π 443 ἐπεὶ ἦ καὶ ἐμὲ πτολίπορθοc Ὀδυccεὺc πολλάκι γούναcιν οἷcιν ἐφεccάμενοc cet., ο 277 ἀλλά με νηὸc ἔφεccαι et Hesychii interpretationem ἐφέccατο· ἐπεβάλλετο et ἐφέccαι· ἐπικαθίcαι τῇ νηΐ, quacum conspirat schol. ad ν 274 in cod. V, ubi ἐφέccαι simili modo explicatur ἱδρῦcαι εἰc τὴν ναῦν. Discimus ex his locis, non solum Zenodoti illud ἐφείcατο et quae huic sunt formae similes praeter εἷcον η 163 abhorrere ab usu Homerico, verum etiam, ubi de notione inponendi maximeque de conscendenda nave agitur, compositum verbum ἐφέccαι, non simplex ἕccαι Homero fuisse familiare. Quare probantes cum Imm. Bekkero emendationem Rhianeam delemus formam ἐέccατο, quamquam Duentzerus Zenod. p. 62 patronus ac defensor exstitit; nam vereor, ne vir doctissimus, cum ἕccο Γ 57 et π 199 conferri iuberet, in errorem induci se passus sit, cum ἕccο, quod Γ 57 perfecti

imperativus, π 199 plusquamperfectum est, a verbo ἕννυμι descendat.

ξ 522. In fine eiusdem libri, ubi Vlixes apud Eumaeum de- 5
cubuisse narratur, legimus:

ἐπὶ δὲ χλαῖναν βάλεν αὐτῷ
πυκνὴν καὶ μεγάλην, ἥ οἱ παρεκέσκετ' ἀμοιβάς,
ἕννυσθαι, ὅτε τις χειμὼν ἔκπαγλος ὄροιτο.

Schol. Ἀριστοφάνης καὶ Ῥιανὸς εἵνυσθαι, ὡς τὸ «θριξὶ δὲ πάντα νέκυν καταείνυον» (Ψ 135). H. Inde si concludere licet, Rhianum hanc formam pro genuina et Homeri propria habuisse, etiam paulo antea v. 514 ceterisque in versibus, in quibus eadem vel similes formae reperiuntur (ζ 28 ἕννυσθαι, ε 229. 230. κ 543 ἕννυτο) eandem mutationem adhibuisse censendus est; aliter enim non intellegitur, cur hoc potissimum loco ει poni quam ν geminari maluerit. Qua in re temeritatis eum insimulare vetamur et consensu Aristophanis[28]) et exemplo a scholiasta allato καταείνυον, quod imperfectum verbi καθεννύναι est, cui addi potest ἐπείνυσθαι forma Ionica pro ἐφέννυσθαι apud Herod. IV 64. Sed haec ipsa exempla mihi dubitationem movent, num εἵνυσθαι recte sit cum spiritu leni scriptum; hoc enim neque ex καταείνυον neque ex ἐπείνυσθαι iure colligi potest, cum ἑννύναι apud Homerum digammo instructum sit (cfr. G. Curtii etym. gr. ed. II p. 338), in recentiore autem dialecto Ionica, qua Herodotus utitur, praepositiones cum verbis compositas carere aspiratione constet. Immo vero scimus Iones dixisse εἱνύναι: quid igitur causae reperias, cur Homerus aspirationem omiserit? Potuit autem Rhianus etiam huius lectionis confirmationem quaerere ex Pisistratea: nam cum antiquo illo tempore neque litterae geminari et Ε pro ει scribi soleret, ΕΝΥΣΘΑΙ pro εἵνυσθαι accipere nemini non licebat.

Ex eodem fonte fortasse repetendum, quod Rhianus ζ 46 6
scribi voluit, ubi Olympus his versibus describitur:

(Οὔλυμπος) οὔτ' ἀνέμοισι τινάσσεται οὔτε ποτ' ὄμβρῳ
δεύεται οὔτε χιὼν ἐπιπίλναται, ἀλλὰ μάλ' αἴθρη
πέπταται ἀνέφελος, λευκὴ δ' ἐπιδέδρομεν αἴγλη.
τῷ ἔνι τέρπονται μάκαρες θεοὶ ἤματα πάντα.

---

28) Aug. Nauckius l. l. p. 47 not. 55 probat hanc formam coll. εἰνύω Eustath. p. 1292, 24. 1871, 37. Etym. M. p. 494 f.

Schol. τῷ ἔνι· τῇ ἔνι, πρὸς τὴν αἴγλην. P H. Dubium esse non potest, quin illud τῷ, quod aut ad Οὔλυμπόνδ' (v. 42) respicit aut neutri generis est et haec omnia, quae in Olympo praeclara sunt, complectitur, Rhiano apto intellectu carere visum sit: Olympi enim mentionem, quae quattuor versibus ante facta est, nimis remotam putabat, quam quae intellegi posset. Praeterea superorum deorum vitae beatae et divinae maiestati magis convenire videri poterat, cum in ipso sereno et candido splendore vitam degere dicerentur. Itaque femininum genus eo minus dubitabat pro vulgata scriptura substituere, quo magis sibi favere videbat vetusta elementa ΤΟΙ, quae si non satis perspicue exarata aut laesa erant, facillime pro ΤΕΙ legi poterant.

7 Massiliensis editionis auctoritatem secutus est A 97, ubi scholion est hoc: λοιμοῖο βαρείας χεῖρας ἀφέξει· Δαναοῖσιν ἀεικέα λοιγὸν ἀπώσει. οὕτως αἱ Ἀριστάρχου. καὶ ἡ Μασσιλιωτικὴ δὲ καὶ ἡ Ῥιανοῦ τὸν αὐτὸν ἔχει τρόπον. ἔοικεν οὖν ἡ ἑτέρα Ζηνοδότου εἶναι, ἡ «οὐδ' ὅ γε πρὶν λοιμοῖο βαρείας χεῖρας ἀφέξει». A. Hoc loco Calchas vates Achille auctore Apollinis iram motam esse dicit Agamemnonis pertinacia, qua Chrysae sacerdotis filiam liberari nollet; deinde pergit:

τοὔνεκ' ἄρ' ἄλγε' ἔδωκεν ἑκηβόλος ἠδ' ἔτι δώσει·
97 οὐδ' ὅ γε πρὶν λοιμοῖο βαρείας χεῖρας ἀφέξει,
πρίν γ' ἀπὸ πατρὶ φίλῳ δόμεναι ἑλικώπιδα κούρην cet.

Sic plurimis, quibus olim utebamur, editionibus vulgatum erat; aliis editoribus Marklandi ratio magis placuit, qui insuper etiam coniciendo Κῆρας pro χεῖρας maiorem gratiam lectioni Zenodoteae conciliare studuerat. Zenodotus autem, ut Duentzero Zenod. p. 143 videtur, et in significatione verbi ἀπωθεῖν, quae tamen satis munitur versibus Θ 96 ἀπώσομεν ἄγριον ἄνδρα et Ο 503 ἀπώσασθαι κακὰ νηῶν, et in κακοφωνίᾳ, quae versibus 96 et 97 similiter (δώσει — ἀπώσει) exeuntibus efficeretur, haesit ideoque hunc versum peculiari conatu male emendavit ex Φ 548 θανάτοιο βαρείας χεῖρας ἀλάλκοι, unde verbum ἀλαλκεῖν desumere non poterat, quia hoc loco futuro tempore opus erat. Rhianus autem Zenodoti auctoritate non impeditus est, quin genuinam et vetustam Massiliensis editionis lectionem in suum locum restitueret, quae neque per se quicquam habet quo iure offendaris, et versu simillimo A 456 ἤδη νῦν Δαναοῖσιν ἀεικέα λοιγὸν ἄμυνον haud

mediocriter commendatur; nam quae sit dativi ratio cum verbo ἀπωθεῖν coniuncti, quod ceteris locis cum genetivo construatur, hic ipse versus luculenter demonstrat. Qua in re quam recte Rhianus egerit, pluribus exponere necesse non est, cum iam Aristarchi assensum nactus sit et multi iique gravissimi inter nostrates philologos[29]) lectionem a principe Alexandrinorum comprobatam unice veram esse edocuerint.

Ex eadem editione Massiliensi repetiit quam Π 59 dedit 8 lectionem, quam dolendum est quod codices non incorruptam ad nos propagaverunt. Sententiarum conexus hic est. Patroclo enixe roganti, ne amplius pugnam detrectet, Achilles respondet, se indigniora passum esse superbia Agamemnonis, quam ut iram deponeret: hunc enim ausum esse Briseida sibi eripere, quam a principibus Achivorum praemium accepisset:

τὴν δ' ἄψ ἐκ χειρῶν ἕλετο κρείων Ἀγαμέμνων
Ἀτρείδης, ὡσεί τιν' ἀτίμητον μετανάστην.

Idem versus est etiam I 648 μνήσομαι, ὥς μ' ἀσύφηλον ἐν Ἀργείοισιν ἔρεξεν Ἀτρείδης, ὡσεί τιν' ἀτίμητον μετανάστην[30]), quae verba nihil exhibent negotii, nam cum με praegrediatur, dubium non est, quin ad Achillem, qui haec loquitur, additamen-

---

29) Displicuit Zenodoti lectio praeter Lachmannum Duentzero Zenod. p. 143 et Zeitschr. f. d. Gymnasialwesen XIV 334, Lehrsio in Diurnis antiquariis a. 1834 p. 139, qui Spitznerum vituperavit, quod Aristarchi rationem repudiavisset, Bergkio, qui ibid. 1846 p. 498 illam ne graecam quidem dici posse contendit, Ameisio in append. ad Iliadis edit. p. 7. Recepta est Aristarchi et Rhiani lectio ab Imm. Bekkero in ed. alt., Ameisio, Duentzero, aliis. — In transcursu commemorare iuvat, in scholiis ad Hom. Il. Lipsiensibus, quae Ludov. Bachmannus a. 1835 edidit, vol. I p. 15 scholion οὐδ' ὅγε καὶ ἡ Μασσιλιωτική, ἡ Ῥιανοῦ καὶ σχεδὸν πᾶσαι οὐδ' ὅγε πρὶν Δαναοῖσιν ἀεικέα λοιγὸν ἀπώσει. ἔοικε δὲ ἡ ἑτέρα Ζηνοδότου εἶναι a recto loco aberrasse et versui 291 ascriptum esse, id quod mirum est fugisse Bachmannum editorem. Praeterea autem scholii initium, ut nunc legitur, absurdum hoc modo correxerim: οὐδ' ὅγε· ἡ Μασσιλιωτικὴ καὶ ἡ Ῥιανοῦ καὶ σχεδὸν πᾶσαι· οὐδ' ὅγε πρὶν cet., ut verbis οὐδ' ὅγε initium versus 97 significetur, ad quem quae sequuntur adnotata sunt.

30) Duentzerus in ed. Il. ad h. l. adnotavit, hinc versum, de quo agitur, perperam invectum esse Π 59, quam sententiam, cum argumenta non protulerit, in medio relinquo.

tum ὡϲεί τιν' ἀτίμητον μετανάϲτην pertineat. Sed priore loco, in quo cum Achillis persona non designetur pronomine, μετανάϲτην necessario ad Briseida (τήν) videtur referendum esse, veteres grammatici varia tentaverunt, id quod elucet ex scholiis, quae hic omnia subiciam necesse est:

μετανάϲτην· ἐν τῇ Μαϲϲιλιωτικῇ καὶ τῇ Ῥιανοῦ μεταναϲτεῖν, καὶ ἀκούουϲι τὴν Βριϲηΐδα. ἐδόκουν δὲ ἀτιμότεροι εἶναι οἱ μέτοικοι ὡϲ διὰ μοχθηρίαν τρόπων τὰϲ ἰδίαϲ καταλιπόντεϲ. «κατὰ ξένου μετοίκου» ὁ κωμικόϲ. V.

ὁ μὲν Ἀρίϲταρχοϲ γράφει μεταναϲτήν, καὶ πρὸϲ τὴν Βριϲηΐδα ἀκούει· ὁ δὲ Ἡρωδιανὸϲ αἰτιατικὴν ἀντὶ γενικῆϲ φηϲίν, ἵν' ᾖ, ὡϲ ἐκ χειρὸϲ ἀτιμήτου μετανάϲτου ἀφείλετο. B L.

ἡ διπλῆ, ὅτι ἀντὶ τοῦ ἀτιμήτου μετανάϲτου, ὡϲ τὸ «ἐπεί μ' ἀφέλεϲθέ γε δόντεϲ» (A 299) ἀντὶ τοῦ ἐμοῦ. A.

Quod Rhianus Massiliensem secutus posuisse traditur, μεταναϲτεῖν non potest esse non depravatum. Iam emendationem quamvis causis non additis proposuit Lobeckius paral. p. 433 n. 52: «μεταναϲτεῖν, quod Aristarchus (!) ex Chia (!) recepisse dicitur, nihil aliud esse potest quam μετανάϲτιν», quae emendatio quamquam in lexica multosque libros alios transiit, mihi non probatur, sed aliam puto in promptu esse medellam, quae diversis scholiastarum adnotamentis accuratius perlustratis haud sine probabilitate nostro loco possit adhiberi.

Ac scholio A quidem Aristarchus, quem loqui ἡ διπλῆ docet, qua erat iudicii sanitate, μετανάϲτην ad Achillem fertur rettulisse, pro genetivo ab ἐκ χειρῶν suspenso accusativum positum esse ratus ad similitudinem pervulgatae structurae verbi ἀφαιρεῖϲθαι cum duplici accusativo coniuncti. Vnde efficitur, ut tralaticiam servaverit scripturam μετανάϲτην. Quod cum ita sit, fieri non potest quin scholion BL, ubi eundem μεταναϲτήν scripsisse intellecta Briseide legimus, vitio laboret; sed remedium quaerere difficile non est, quia, cum quae Herodiano tribuuntur prorsus congruant cum scholio A, nomina ita commutanda esse patet, ut pro Herodiano Aristarchum, pro Aristarcho Herodianum reponamus.[31]) Sic haec optime inter se consentanea. Deinde vero

31) Sic igitur legendum: ὁ μὲν Ἡρωδιανὸϲ γράφει μεταναϲτήν, καὶ πρὸϲ τὴν Βριϲηΐδα ἀκούει· ὁ δὲ Ἀρίϲταρχοϲ αἰτιατικὴν ἀντὶ γενικῆϲ

scholion V contendentes cum scholio BL facile perspicimus, in utroque plane eandem esse versus Homerici interpretationem: quare non incredibile est, lectionem quoque eandem in utroque scholio exhiberi, cumque quod BL habent μεταναςτήν solum conveniat illi interpretationi communi, hoc pro μεταναςτεῖν in V restituendum erit.

Quae si recte emendata sunt, μεταναςτήν Rhianus deduxit ab adiectivo verbali μετανακτός, quod parasyntheton haberi sine dubio voluit, ut non pugnet cum regula Herodiani a Goettlingio de accentibus p. 313 exposita. Femininae autem formae usus munitur adiectivis Homericis δουρικτητή Ι 343, ἀμαιμακέτη Ζ 179, quae Goettlingius l. l. attulit, ἀπριάτη (vide lect. 41), ἀδμήτη Κ 293, ἀςβέςτη Π 123 nonnullis aliis a Lobeckio paral. p. 458 sq. collectis. Nobis Aristarchi rationem potiorem esse iam supra indicavimus.

Ex Chia editione Rhianus hausit βοῶν ἔπι Υ 188, ubi 9
Achilles, antequam cum Aenea confligit, minaciter eum compellat verbis his:

ἦ οὐ μέμνῃ, ὅτε πέρ ϲε βοῶν ἄπο μοῦνον ἐόντα
ϲεῦα κατ' Ἰδαίων ὀρέων ταχέεϲϲι πόδεϲϲι cet.

Schol. ἀναςτρεπτέον τὴν πρόθεςιν· ἔςτι γὰρ τὸ ἑξῆς ἀπὸ βοῶν. ἔνιοι δὲ ςυντάςςουςι τὴν ἀπό τῷ ςεῦα, ἐν τῇ Χίᾳ δὲ βοῶν ἔπι. A B. — Ἄλλως. ἡ Ῥιανοῦ καὶ Ἀριςτοφάνους βοῶν ἔπι, οὐκ ἀχαρίτως. A. Priore scholio, cuius auctorem Herodianum esse veri simile est, docemur iam veteres grammaticos inter se dissensisse, utrum ἀπό per tmesin a verbo ςεῦα seiunctum an arte cum genetivo βοῶν coniungendum esset. Atque Herodianus Aristarchum secutus simplex ςεῦα positum esse et ἄπο ad βοῶν referri voluit. Cui sententiae Rhianus accessit, sed idem hanc

φηςίν, ἵν' ᾖ ὡς ἐκ χειρὸς ἀτιμήτου μετανάςτου ἀφείλετο. B L. Potest etiam Rhiani nomen saepissime illud depravatum latere in Ἡρωδιανός, praesertim si in hoc nomine ἡρω litteras compendio parum distincto exaratas putemus. Ac Lehrsius profecto in reliquiis libri περὶ Ἰλιακῆς προςῳδίας (v. Herodiani tria scripta emend. p. 193—336) hunc locum Herodiano non vindicavit, sed hoc propterea, puto, fecit, quod codicibus V et L et iis quae B cum his communia habet 'nullum unum verbum credendum esse' Arist. p. 31 dixit. Ceterum tacere non debeo Maur. Schmidtium mihi hanc emendandi viam benigne significasse.

controversiam omnino inutilem esse putavit; re vera enim nihili interest nec quicquam in re narrata variatur, sive ἀπὸ βοῶν ςεῦα sive βοῶν ἀπέςςευα dicis. Quid quod ipsius praepositionis ἀπό usus hoc loco non caret iusta offensione? Primum enim per se consentaneum est, Aeneam, quem Achilles inermem aggressus esset et fugientem persequeretur, non cum grege suo fugisse, sed gregem deseruisse, ut suam certe vitam fuga quam celerrima servaret: supervacaneum igitur est dici eum ἀπὸ βοῶν fugatum esse. Deinde autem si Homerus indicare voluit locum, unde Aeneas ab hoste fugatus esset, hoc satis significatum est verbis κατ' Ἰδαίων ὀρέων. Denique molesta est verborum collocatio, qua μοῦνον ἐόντα interiectum est inter βοῶν ἄπο et ςεῦα, quae artissime cohaerent. Hanc offensionem triplicem facillime et aptissime Rhianus eo sustulit, quod suffragante Aristophane cum Chia ἔπι pro ἄπο reposuit. Nam cum βοῶν ἔπι μοῦνον ἐόντα inter se coniuncta sint, suavius fluit oratio — id quod scholiasta significasse videtur verbis οὐκ ἀχαρίτως — et sententia, quae nascitur, ad rem ipsam magis accommodata est; neque enim Achilles timorem eum indicare voluit, quo perterritus Aeneas solus fugeret, sed terrorem potius ei iniectum, cum solus et ad pugnam inparatus in monte Ida boves pasceret et inproviso Achillis inpetu opprimeretur. Accedit quod ἐπί ea praepositio est, quae de pastoribus greges custodientibus proprie dici soleat: qua de re commemorasse sufficiet locutionem frequentissimam ἐπιβουκόλος ἀνήρ h. e. pastor qui est ἐπὶ τῶν βοῶν γ 422. υ 235. φ 199. χ 268. 292. 285 et ἐπιποιμήν μ 31; cfr. etiam Ameisii append. ad γ 422 et α 273.

10 Cum Antimacho consensit Rhianus Φ 607. Troianis ubique pulsis multisque occisis Achilles saeva bellandi cupiditate inflammatus cum Achivis ad urbem proxime accessit, et Troianis de salute desperandum fuit, nisi Apollo Agenorem cohortatus esset, ut hostis furorem si minus refrenare, at remorari auderet, et Achillem Agenoris specie indutus fefellisset. Quo divino auxilio factum est, ut maxima pars Troianorum in moenium refugia pervenirent:

τόφρ' ἄλλοι Τρῶες πεφοβημένοι ἦλθον ὁμίλῳ
ἀςπάςιοι προτὶ ἄςτυ· πόλις δ' ἔμπλητο ἀλέντων.

Schol. πόλις δ' ἔμπλητο· παρὰ Ἀντιμάχῳ καὶ Ῥιανῷ πύλαι δ'

ἔμπληντο. A. De huius emendationis praestantia dissensio est inter homines doctos; Imm. Bekkerus quidem, peritissimus ille Homericorum carminum existimator, probato Rhiani iudicio πύλαι δ' ἔμπληντο recepit, sed neque ceteri editores eius exemplum secuti sunt et Duentzerus in ed. ad h. l. adnotavit: 'Statt des dem ἄστυ synonymen πόλις lasen Andere das bei ἀλέντων unpassende πύλαι.' Ego cum Bekkero facio. Nam ut a Duentzeri argumento exordiar, cur ἀλέντων cum πύλαι apte coniungi nequeat, non intellego. Quid quod tantum abest, ut mihi non convenire videatur, ut id hoc cummaxime loco aptissimum esse dicam? Verbo ἀλῆναι enim Troianorum fugientium turba in angustias compressa et quasi conferta describitur, quam significationem vix opus est exemplorum copia tueri, ut Ε 823 ἄλλους Ἀργείους ἐκέλευσα ἀλήμεναι ἐνθάδε πάντας, Σ 76 πάντας ἐπὶ πρύμνῃσιν ἀλήμεναι υἷας Ἀχαιῶν, ibid. 447 Ἀχαιοὺς Τρῶες ἐπὶ πρύμνῃσιν ἐείλεον, οὐδὲ θύραζε εἴων ἐξιέναι, ib. 286 ὅς κέλεαι κατὰ ἄστυ ἀλήμεναι αὖτις ἰόντας et 287 ἦ οὔπω κεκόρησθε ἐελμένοι ἔνδοθι πύργων; Φ 295 πρὶν κατὰ Ἰλιόφι κλυτὰ τείχεα λαὸν ἐέλσαι Τρωϊκόν, ὅς κε φύγῃσιν, Ω 662 οἶσθα γάρ, ὡς κατὰ ἄστυ ἐέλμεθα, Φ 8 ἡμίσεες δὲ ἐς ποταμὸν εἰλεῦντο, μ 210 Κύκλωψ (ἡμᾶς) εἶλει ἐνὶ σπῆι γλαφυρῷ, quibus alia multa facili opera addi possunt. Iam cum homines in aliquem locum (ἐνθάδε), cum apud navium puppes, cum ad muros, cum in antro comprimi recte dicantur, cur non etiam ἐν πύλαις ἀλήμεναι dici possunt? Immo vero cum Troes effusa fuga urbem peterent, tanto terrore perculsi, ut extra muros non auderent circumspicere nec tutos se esse opinarentnr priusquam urbem introissent[32]), portarum angustias conferta fugientium turba repletas fuisse consentaneum est. Cuius hominum concursus, quem praeviderat, ut vehementiam infringeret, Priamus portas apertas teneri, donec copiae in urbem intrassent, iusserat (v. 531 sq.). Cum autem poetae virtus, ubi res describit, in hoc cernatur, ut ea potissimum eligat, quae

32) Dilucide poeta hanc trepidationem fugamque describit verbis gravissimis:

608 οὐδ' ἄρα τοί γ' ἔτλαν πόλιος καὶ τείχεος ἐκτὸς
μεῖναι ἔτ' ἀλλήλους καὶ γνώμεναι, ὅς κε πεφεύγοι
ὅς τ' ἔθαν' ἐν πολέμῳ· ἀλλ' ἐσσυμένως ἐσέχυντο
ἐς πόλιν, ὅντινα τῶν γε πόδες καὶ γοῦνα σάωσαν.

cuiusque rei propria sint praecipueque in conspectum veniant et audientium animos ad expressam rerum imaginem cogitatione fingendam quam maxime excitent, fugientium militum et densam multitudinem et timidam trepidationem melius breviusque poeta hoc loco describere non poterat, quam ita ut ingentem fugatorum concursum, qui ad portas fiebat, cum vi et gravitate significaret. Quibus de causis illud πύλαι poeta multo dignius et longe praeferendum est vulgatae lectioni. Quid vero? dico πόλις ne ferri quidem posse. An est πόλις δ' ἔμπλητο ἀλέντων aliud quam si dicas ἐν τῇ πόλει ἆλεν vel εἰλεῦντο? Ita ut postquam in urbem introissent, ibi ipsorum multitudine premerentur? At hoc nego apte quadrare in notionem urbis maximeque Troiae amplissimae, cuius sollemnia sunt epitheta εὐρεῖα et εὐρυάγυια. Vbicunque enim ἀλῆναι cum praepositione quietem indicante, velut ἐνί et ἐπί sequente dativo iungitur, locus angustus significatur, in quo multi homines compressi ipsa multitudine sese impediant et perturbent, ut ἐπὶ πρύμνῃσιν, ἔνδοθι πύργων, ἐνὶ σπῆι, at de ceteris locis, quae angusta non sunt, praepositiones motum indicantes usurpantur, ut sit εἴλειν id quod compellere hominum multitudinem in aliquem locum: sic in exemplis supra allatis dicitur εἰς ποταμόν, κατὰ τείχεα, κατὰ ἄστυ, sic in narratione huius fugae ipsius, de qua hoc loco agitur, initio insequentis libri X 12 legimus: οἳ δή τοι εἰς ἄστυ ἆλεν h. e. iam in urbem compulsi sunt (sie sind schon in die Stadt hinein-, zurückgedrängt), non quo urbs tam angusta sit, ut hominum copiam capere non possit, sed quia Troianorum conferta multitudo ab Achivis in fugam coniecta et per portas in urbem compulsa est. Ac praeterea quis iure dixerit, vastam illam urbem post pugnam iisdem militibus, quos ante pugnam intra moenia continuisset, tam refertam fuisse, ut ipsorum multitudo iis impedimento esset? Praesertim cum ne omnes quidem, qui ad proelium committendum exierant, in urbem redirent, quandoquidem permultis occisis numerus eorum vehementer deminutus erat.

3.

Sequitur deinceps lectionum copia, quas utrum Rhianus suo Marte et coniectando inventas posuerit an vetustioris alicuius editionis, quae enotata non est, fide ductus, alto scholiastarum silentio

neutram in partem certo decerni potest. Quarum ordinem ducant eae, quae Aristophanis Byzantii assensu comprobatae sunt.

A 553 οὔτ' εἴρομαι οὔτε μεταλλῶ· οὕτωϲ αἱ Ἀριϲτάρ- 11
χου καὶ ἡ Ῥιανοῦ καὶ ἡ Ἀριϲτοφάνουϲ· καὶ ἔϲτιν ἐμφατικὸν δὶϲ λεγόμενον τὸ οὔτε. οἱ γράφοντεϲ οὐδὲ μεταλλῶ κακῶϲ γράφουϲιν. A. — ἄμφω διὰ τοῦ τ, ἵν' ᾖ ἐμφαντικὸν δὶϲ λεγόμενον. καὶ ἐν τῇ ἀπολογίᾳ δὲ μέμφεται ὡϲ ἀεὶ ἰδιάζοντοϲ αὐτοῦ. ἔθοϲ δὲ γυναιξὶν ἀρνεῖϲθαι ὅτι ποτὲ παρηνώχληϲαν τοῖϲ ἀνδράϲιν. B L. Ex his luculenter apparet, ab omnibus ante Rhianum editoribus vulgatum esse οὐδὲ μεταλλῶ, hunc vero, cum in illa particularum οὔτε et οὐδέ societate haud iniuria offenderet, consentientibus Aristophane et Aristarcho eam reposuisse lectionem, quam etiam nunc omnes exhibent editiones. Iam apud Homerum quidem nullo praeterea loco hae particulae sic consociatae reperiuntur et apud ceteros quoque scriptores tanta est paucitas exemplorum fide praestantium codicum confirmatorum, ut merito dubitari possit, num usquam post οὔτε semel positum inlatum sit οὐδέ, sed si quaeras, qui factum sit, ut ceteri editores veteres, quos insolentior haec dicendi ratio plane fugisse vix putanda est, οὐδέ mutare non auderent, nihil aliud videtur in causa fuisse, quam quod οὐδέ vetustissimorum librorum auctoritate nitebatur. Quod si teneamus, facile in rectam emendandi viam ducimur. Rhianus enim corruptionem quaerebat, ubi quaerenda non erat, cum non οὐδέ, sed οὔτ', quod omnes editores veteres antiquis elementis Ionicis decepti retinuerunt, emendatione egeret. Nam Pisistratea editio haud dubie hanc praebebat scripturam ΟϜΕΡΟΜΑΙ h. e. οὐ Ϝείρομαι, in qua Rhianus cum propter digammi inscientiam T pro F legisset, aliter litteras dispescere non poterat, quam ita ut οὔτ' εἴρομαι legeret. Hoc ex errore, in quem post eum etiam Aristophanes et Aristarchus inciderunt, nata est coniectura οὔτ' εἴρομαι οὔτε μεταλλῶ, ad quam defendendam excogitatum est argumentum speciosius illud quidem quam verius: καὶ ἔϲτιν ἐμφατικὸν δὶϲ λεγόμενον τὸ οὔτε. Quod quantopere claudicet et vacillet, eum fugere non poterit, qui in totum huius loci contextum mentem intenderit. Est enim versus, de quo disputamus, in pulcherrima illa narratione domesticae altercationis inter Iovem et Iunonem coniugem exortae. Atque Iuno patrem hominum deorumque obiurgaverat, quod clandestina semper moliretur consilia nec

quicquam eorum, quae facturus esset, cum ipsa communicaret. Cui Iupiter: noli sperare, te omnia consilia mea scituram esse; quae audire te decet, ea nemo aut deorum aut hominum prius quam tu cognoscet; at quae ego deos celata volo, μή τι ϲὺ ταῦτα ἕκαϲτα διείρεο μηδὲ μετάλλα (v. 550). Iam vero qui observaverit, si qui apud tragicos poetas altercantes inducantur, eos quo magis sit aculeata oratio, eadem dicendi forma, qua alter usus sit, respondere[33]), intelleget Iunonem indignabundam alio modo non posse respondere, quam ut Iovis verba cum acerbitate accuratissime repetita in eum retorqueat. Dicat igitur oportet: καὶ λίην ϲε πάροϲ γ' οὐκ εἴρομαι οὐδὲ μεταλλῶ.

12 T 41. Thetis postquam filio arma a Vulcano facta dedit et promisit se effecturam, ut ne Patrocli corpus putrescat, adhortatur Achillem, ut Achivorum contione convocata iram se deponere fateatur: ἀλλὰ ϲύ γ' εἰϲ ἀγορὴν καλέϲαϲ ἥρωαϲ 'Αχαιούϲ, μῆνιν ἀποειπὼν 'Αγαμέμνονι ... ἐϲ πόλεμον θωρήϲϲεο. Achilles statim matri obsequitur:

αὐτὰρ ὁ βῆ παρὰ θῖνα θαλάϲϲηϲ δῖοϲ 'Αχιλλεὺϲ
ϲμερδαλέα ἰάχων, ὦρϲεν δ' ἥρωαϲ 'Αχαιούϲ.

Schol. ἥρωαϲ· παρ' 'Αριϲτοφάνει καὶ 'Ριανῷ ἐρίηραϲ. A. τινὲϲ τοὺϲ βαϲιλεῖϲ νῦν. V. Qui deinceps sequuntur versus non principes modo, sed cunctos Achivos intellegendos esse declarant, nam etiam κυβερνῆται et ταμίαι in contionem eunt. A quibus cum alienam esse putaret honorificam ἡρώων appellationem, Rhianus hunc locum mutavit, ut videatur Istri Callimachei opinionem secutus esse, quem postea Aristarchus rectissime refutavit versibus his Β 110. Μ 165. Ν 629. Ο 230, in quibus omnibus hoc epitheton non tantum principibus, sed omnibus Achivis tribuitur: cfr. Lehrsius Arist. p. 101. Hoc autem si ita est, Rhianus aut hos versus omnes, quos non poterat non probe novisse, maximeque verba Thetidis supra allata (v. 34) simili modo mutavisse censendus est aut intellegi omnino nequit, cur solum hunc versum attrectaverit, ceteros non item. Sed utut haec se habent et quamquam mutatio eius explodenda est, id tamen neminem fugiet, in eo quod sub-

---

33) Vide God. Hermannum ad Eurip. Alc. 576. Huius rei exempla satis crebra sunt, ut Soph. O. R. 547 et 548. Ant. 442 et 443. 522 et 523 al.

stituit ἐρίηρας cerni elegantiae sensum eum, qui verum poëtam deceat; nam hoc potissimum epitheton non tam casu aut metri causa, ut numerorum cursum suaviter acceleraret, elegisse videtur, quam ut conversum et mitigatum Achillis erga Achivos animum voluntatemque apte indicaret. Achivi enim, quos ante Patrocli mortem inplacabili odio persecutus in tot funestis proeliis suo auxilio privaverat, iidem cum interfecto Patroclo pristinam iram deposuisset, ei rursus commilitones erant carissimi.

Ψ 81. Patrocli mortui umbra dormientem Achillem, ut cor- 13
pus suum celeriter sepeliat, adhortatur et haec addit:

καὶ δέ σοι αὐτῷ μοῖρα, θεοῖς ἐπιείκελ' Ἀχιλλεῦ,
τείχει ὕπο Τρώων εὐηγενέων ἀπολέσθαι.

Schol. εὐηγενέων· ἐν τῇ Ῥιανοῦ καὶ Ἀριστοφάνους εὐηφενέων διὰ τοῦ φ, εὖ τῷ ἀφένῳ χρωμένων, ὡς Κλέαρχος ἐν ταῖς γλώτταις. A. τῶν καλοὺς ἀγροὺς ἐχόντων ἢ γένη. οἱ δὲ εὐηφενέων, παρὰ τὸ ἄφενος, τῶν καλῶς χρωμένων τῷ ἀφένῳ. B. Similiterque Hesychius εὐηφενέων interpretatur εὖ πλουτούντων. De hoc loco Rhianus singulariter meritus est, cum inter omnes primus perspiceret, adiectivum εὐηγενής, quod ut eo tempore vulgatum erat, sic etiam hodie in multis exstat editionibus, prorsus repugnare legibus, quibus recta verborum conformatio in graeca lingua astricta est. Idem cum legatur etiam Λ 427 αὐτοκασίγνητον εὐηγενέος Σώκοιο, in hoc quoque versu εὐηφενέος ab eo substitutum esse pro certo habendum est. Quod quam recte fecerit, postquam diu homines doctos fugit[34]), nostra aetate magis magisque intellectum est: nam cum Aug. Nauckius Aristoph. p. 50 not. 64 verissime Rhianum et Aristophanem ita scripsisse dixisset[35]), Imm. Bekkerus in editione altera (a. 1858)

34) Mirum est, quod Heynius, quamquam damnavit εὐηγενής, repudiavit tamen quod dudum ante eum rectissime excogitatum erat, et ἠυγενής maluit poni, de quo Imm. Bekkerus in censura illa notissima (anni 1806) satis acerbe dixit (Homer. Blätter p. 21): 'Doch haben wir bei sorgfältiger Durchlesung des ganzen Werkes zwei Conjecturen gefunden, freilich solche die einen nicht schon berühmten schwerlich berühmt machen dürften: nehmlich für εὐηγενέων Ψ 81 und Λ 427 ἠϋγενέων, was in einem misslichen Streite mit der Prosodie zu liegen scheint.'

35) Haec sunt Nauckii verba: 'Nam εὐηγενής quamvis et Theo-

lectionem Rhianeam recepit, quem secutus est Duentzerus in ed. Iliadis a. 1866, et I. La Rochius Hom. Textkr. p. 262 (117) et G. Curtius etym. gr. p. 448 reiecto adiectivo εὐηγενής probaverunt inventum Rhiani. Quamquam fuerunt etiam, qui legitimam illius formationem tueri conarentur: Doederlinus enim gloss. I p. 178 n. 271 cum inauditam epenthesin vocalis η idoneis exemplis firmari non posse Nauckio concessisset ac vel εὐηπελής, quo is unico exemplo usus erat, idoneum esse negasset, non tamen impetrare a se potuit, ut adiectivum εὐηγενής ex Homeri carminibus exterminari pateretur, nam: 'Gleichwohl, inquit, hat in εὐηγενής das η wenigstens eine Quasi-berechtigung, wenn man es als Metathese des Anlauts ἠυγενής betrachtet. Auch sollte michs wundern, wenn Homer gar keine Form für den ächtheroischen Begriff εὐηγενής gehabt hätte!' Cui interpretationi quantum ipse diffideret, cum verbis suis, quae haesitantem eius et incertum animum satis testatum faciunt, tum interrogationis signo in indice huic voci dubitationis causa apposito aperte declaravit. Ac miranti, quod si εὐηγενής damnaretur, nullo apud Homerum vocabulo alio significaretur *generositatis* notio aetati heroicae convenientissima, iure ei obicere licet, non minus, sed etiam multo magis mirum esse, quod hoc epitheton in Odyssea nusquam, in Iliade non saepius quam duobus locis inveniatur, cum quotquot heroes nominatim ab Homero commemorentur, ii fere omnes nobili loco nati sint et hac generis nobilitate haud raro glorientur. Sed id ipsum videtur in causa esse, cur Homerus hanc notionem non significet adiectivo illo εὐηγενής, quod satis leve et languidum ei in hac re videri debuit: nam ubi generis nobilitatem peculiari locutione designat, epithetis διογενής et διοτρεφής

crit. 27, 41 [adde etiam Λ 427. hymn. Ven. 230. Marcell. anth. Pal. app. 51, 29] propagarit et grammatici identidem offerant (Apoll. Lex. H. p. 309, Hesych., Et. Magn. p. 390, 34. 422, 15. Eustath. p. 854, 61. 1288, 62), dubito tamen, num recte formata sit; siquidem insolens vocalis η παρέμπτωσις exemplis Lobeckii in Phryn. p. 699 non munitur, unum autem, quod genuinum foret, εὐηπελής destitutum videtur auctoritate idonea. Contra εὐηφενής ab εὖ et ἄφενος descendens stabilitur vv. εὐήνωρ et εὐήκης. Commentum Lebasii, qui in titulo Lesbio Εὐαγένης nomen reponi volebat (Ahrens de Dial. Graec. II p. 498 sq.) verbo memorasse sufficiet.'

vel etiam ἄναξ, multo illis quidem gravioribus et sollemnioribus, uti solet. Quare minime assentior Doederlino dicenti deleto εὐηγενής deleri notionem Homero vel maxime propriam, et si quid in hac re mirandum est, illud potius est, quod Doederlinum hoc fugit.

Sed praeter hunc nuper etiam Richardus Roedigerus nova ratione inexplicabili huic et multum tentatae vocali η lucem salutemque afferre studuit, qui commentatione Lipsiae a. 1866 edita doctissime disputavit 'de priorum membrorum in nominibus graecis compositis conformatione finali'. Is quidem p. 25 sqq. in vocali η in commissura compositorum posita reliquias quasdam latere putat priscae praepositionis in graeco sermone pridem oblitteratae, quae si non eadem, at cognata sit sanscriticae praepositioni *â*, ad quam interpretationem omnia eius modi nomina composita revocat, sive priora membra indeclinabilia sunt sive declinabilia. Atque cum ea praepositio vim et potestatem habeat latissime patentem (v. p. 29), fieri sane non potest, quin nonnulla nomina commode explicentur; alia tamen torqueri necesse est, ut aptus sensus prodeat; in iis autem nominibus, quae desinunt in -γενής, illud η vult idem esse ac *pro* sive *in lucem*, ut sit εὐηγενής 'bono loco in lucem editus', non simpliciter 'bono loco natus' (v. p. 32). Iam vero non audeo equidem, cum parum peritus sim comparativae linguarum scientiae, de universa hac sententia iudicium facere, sed nonnulla, ut ingenue fatear, non ea sunt, ut mihi facile persuadeatur. Mihi enim in his quidem nominibus η praepositio prorsus redundare et supervacanea esse videtur, cum quae notio ei tribuitur, ea iam ipsa radice γεν perspicue exprimatur, et scire profecto velim, num quid discriminis intercedat inter νεηγενής (δ 336) et νεογενής (Aesch. Cho. 530), inter Πυληγενής (h. Ap. 398) et Πυλοιγενής (Β 54. Ψ 303), scire velim, cur non etiam pro διογενής dicatur διηγενής aut νεήγονος pro νεόγονος, cum illa ratione radix γεν in compositis pro se stare non posse videatur. Donec igitur haec sententia magis confirmata erit, licebit interim Rhiani emendationem commendare, quam splendidam esse et summa laude dignam maximo est documento, quod non modo sententiae optime convenit (vide Duentzeri adn. ad h. l.), verum etiam lenissima mutatione nata est, cum praeter unam litteram nihil mutandum esset. Ἄφενος autem non alienum esse a nominibus compositis probatur his locis: Callim. hymn. in Iov. 84

ἐν δὲ ῥυηφενίην ἔβαλές σφισιν, ἐν δ' ἄλις ὄλβου et Dion. Perieg. 337 ῥυηφενέων πέδον ἀνδρῶν. Doederlinus gloss. III p. 166 n. 2192 huc trahit etiam ὑπεράφανος apud Pindarum Pyth. II, 52, unde ὑπερηφανεῖν derivatum est, quamquam hoc vocabulum alii aliter explicant: cfr. G. Curtius etym. gr. p. 261. Roedigerus l. l. p. 27. 32.

14 δ 12. Narrantur Menelai et filii et filiae nuptiae duplices:

υἱέι δὲ Σπάρτηθεν Ἀλέκτορος ἤγετο κούρην,
ὅς οἱ τηλύγετος γένετο κρατερὸς Μεγαπένθης
ἐκ δούλης· Ἑλένῃ δὲ θεοὶ γόνον οὐκέτ' ἔφαινον,
ἐπεὶ δὴ τὸ πρῶτον ἐγείνατο παῖδ' ἐρατεινήν,
Ἑρμιόνην, ἣ εἶδος ἔχε χρυσέης Ἀφροδίτης.

Schol. Ἑλένῃ· ἐν τῇ κατὰ Ῥιανὸν καὶ Ἀριστοφάνην Ἑλένης σὺν τῷ σ. M. Vt structurae verborum plus concinnitatis vindicaret et opposita inter se sententiae membra magis efferret, Rhianus dativo videtur genetivum praetulisse, qui aut ἐκ παραλλήλου cum ἐκ δούλης positum praepositionem ἐκ requirit cogitatione repetitam aut a γόνον pendere cogitandus est. Mihi prior interpretatio magis arridet, qua fit, ut utrumque membrum simillimam verborum conformationem habeat. Praeterea vero verbi φαίνειν vis ac potestas non est 'dare' sive 'donare', sed 'in lucem edere', ut sententia prodeat aptissima haec: 'Menelao dei ex Helena prolem non amplius in lucem ediderunt', nam in veterum hominum moribus situm erat, ut patris potissimum liberi esse patrique a deis dati esse dicerentur.[36]) Ceterum ne quid praetermittatur quod Rhiano faveat, ex editione La Rochii adnotamus, codices IHL, qui optimis adnumerantur, exhibere ἑλένης et in cod. Harl. H, qui olim omnium praestantissimus censebatur, ἑλένῃ legi supra scripta σ littera, unde praeter Aristophanem etiam aliis postea placuisse lectionem Rhianeam apparet.

15 ε 296 καὶ Βορέης αἰθρηγενέτης, μέγα κῦμα κυλίνδων. Ad hunc versum pertinet scholion: τὸ δ' αἰθρηγενέτης Ῥιανὸς

36) Ad hanc sententiam, quam exemplis probare vix opus est, cfr. Wexius prol. ad Soph. Ant. p. 74: 'Liberorum quoque minor fuisse videtur in feminis graecis amor, quia pater hos, sua vi ex femina progenitos, tanquam proprios sibi vindicabat, ut femina quasi serva emancipata viro illi hoc procreandi officium praestare debere videretur.'

καὶ Ἀριστοφάνης αἰθρηγενής λέγουσιν, quod in codd. HPQ versui 394 falso ascriptum Dindorfius suo loco restituere omisit.[37]) Memoratu dignum est ἅπαξ εἰρημένον esse id nomen, in quo Rhianus haeserit, nam O 171 et T 358 legimus ὑπὸ ῥιπῆς αἰθρηγενέος Βορέαο itemque apud Apoll. Rhod. IV 765 ἀνέμοις αἰθρηγενέεσσιν. Cuius adiectivi nominativus αἰθρηγενής cum versui hexametro includi non posset, Homerus, ut metro satisfaceret, auxiliarem quam vocant formam αἰθρηγενέτης finxit, quam Rhianus et Aristophanes hanc ob causam damnavisse videntur, quia hoc nomen sensu passivo praeditum esse negabant. Omnia enim nomina in -έτης exeuntia, quae apud Homerum inveniuntur, αἰειγενέτης, αἰθρηγενέτης, αἰναρέτης, ἑκατηβελέτης, ἐριβρεμέτης, ὑψιβρεμέτης, εὐμενέτης, ἱκέτης, μητιέτα, νεφεληγερέτα, στεροπηγερέτα, περιναιέτης (cfr. Aem. Woerneri index subst. Hom. cet. in progr. Misen. a. 1869 p. 21) actionem significant praeter αἰθρηγενέτης et αἰειγενέτης, idque sine dubio in causa fuit, cur inter veteres grammaticos[38]) essent qui αἰθρηγενέτης non eum, qui *in aëre genitus* esset, sed qui *frigus progeneraret* aut qui *serenaret caelum* designare contenderent. Quorum sententiam amplexus Rhianus hoc adiectivum reiecit, cum parum apte Boream O 171 et T 358 in aëre genitum eundemque ε 296 epitheto simillimo frigus gignere dici arbitraretur. Hac quidem ratione etiam αἰειγενέτης, de quo deorum epitheto v. Ameisii append. ad ω 373, mutare debebat, quippe quod ab activa significatione plane abhorreret. At obstat constans posteriorum scriptorum usus, qui non modo αἰθρηγενέτης Homerico more usurpaverunt, ut Eustathius de Hysm. p. 172 (ed. Hercher): διὰ γάρ τοι παρθενικῆς ἁπαλόχροος οὐ διάησιν αἰθρηγενέτης βορρᾶς, sed etiam simplex γενέτης sensu passivo dicere et composita nomina alia fingere haud dubitaverunt; cfr. quae Meinekius Anal. Alex. p. 86 composuit exempla: Soph.

37) Accentum Dindorfius recte constituit; antea apud Buttmannum legebatur αἰθρηγενέης, quod cur La Rochius in adnot. ad. h. l. retinuerit nescio.

38) Eustathius 1538, 34 re in ambiguo relicta satis habet diversas interpretationes commemorasse: αἰθρηγενέτης Βορέας ὁ αἶθρον, ὅ ἐστι ψῦχος, ποιῶν ἢ ὁ αἰθρίας, ὅ ἐστιν εὐδίας, αἴτιος ἢ ὁ ἐξ αἰθέρος γενόμενος, ὅ ἐστιν ὑψόθεν πνέων. Heynius ad Il. O 171 αἰθρηγενέτης dixit esse eum 'qui progeneraret frigus.'

Oed. Tyr. 471 ὁ Διὸς γενέτας (Ἀπόλλων), Eurip. Ion. 916 (Nauck.) ὁ δ' ἐμὸς γενέτας καὶ σός, in epigr. Cyzic. 3 anthol. Pal. I p. 58 Phoenix appellatur γενέτης Amyntoris; composita similia habes apud Timotheum lyricum (Plutarch. de Alex. fort. et virt. p. 334 b) τὸν γαγενέταν ἄργυρον, anth. Pal. IX 524, 19 Σεμεληγενέτην de Baccho, ibid. 525, 19 σεληγενέτην de Apolline dictum, ibid. XII 195 Strato εὐγενέτης dixit pro εὐγενής. Quare non est, quod cum Rhiano αἰθρηγενέτης respuamus; quod autem ipse substituit αἰθρηγενής, quamquam praeter Aristophanem etiam Nauckio placuit, tamen cum prorsus insolenti ratione formatum nullius fere exempli subnitatur auctoritate[39]), explodendum esse existimo.

16 ε 393. Vlixes postquam biduum in turbulento mari natavit, tertio tandem die tempestate sedata terram haud procul abesse cognovit, quam ipsam conspexit magna unda in altum sublatus:

ὁ δ' ἄρα σχεδὸν εἴσιδε γαῖαν,
ὀξὺ μάλα προϊδών, μεγάλου ὑπὸ κύματος ἀρθείς.

Manifestum est ultima verba epexegesin efficere participii προϊδών, et causam indicare, qua factum sit, ut tam acute prospiceret. Neque vero aliam sententiam intellegi voluit Rhianus, qui ἐπί pro ὑπό posuit; v. schol. ὑπὸ κύματος· ἐν τῇ Ἀριστοφάνους καὶ Ῥιανοῦ ἐπὶ κύματος. H. Sed ut rem dilucidius describeret et ipsius Vlixis prospectantis imaginem quasi sub aspectum subiceret, maluit ἐπί scribi, quo Vlixes fluctu correptus et in altum sublatus in summo vertice undae sedere diceretur. Verba igitur μεγάλου ἐπὶ κύματος arte coniunxit cum προϊδών, ut ἀρθείς explicationis causa adiectum esset, id quod nihil habet offensionis, cum undae vi eum levatum esse per se consentaneum sit. Qua mutatione et Aristophanis assensum nactus est et eius, qui Aristophanis reliquias collegit et recensuit, A. Nauckii, qui rationibus quidem omissis l. l. p. 43 ut ἐπί in textum reciperetur postulavit. Equidem vix ausim ἐπί tantopere commendare, cum etsi satis poetico colore tinctum sit hoc dicendi genus et accommodatum

39) Sola quae afferre potueris exempla sunt apud Hesych. s. v. ἀπλέητος· ἀπροσπέλαστος, ubi Maur. Schmidtius adnotavit: 'ἀπλέητον ἀπροσπέλαστον. C. 171. Nisi laesus ordo glossam in suspitionem adduceret, insolentiorem formam tuerer Archilocheo Κρεήτῃ (fr. 175).'

ad epicam in rebus describendis perspicuitatem, tamen non videam, cur vulgata lectio ferri nequeat.

His igitur in versibus Rhianus Aristophanem habuit astipulatorem. Nunc perlustremus multo maiorem numerum eorum, quos solus commutavisse videtur aut quibus certe solum eius nomen in scholiis ascriptum est.

Π 559. Sarpedone occiso Patroclus Aiaces adhortatur, ut 17
Troianos socii corpus defendentes propulsent. Iacet quidem, inquit, Sarpedon, mea manu prostratus, sed utinam arma ei possimus auferre.

ἀλλ' εἴ μιν ἀεικισσαίμεθ' ἑλόντες
τεύχεά τ' ὤμοιιν ἀφελοίμεθα καί τιν' ἑταίρων
αὐτοῦ ἀμυνομένων δαμασαίμεθα νηλέϊ χαλκῷ.

Hic quod optandi forma sic usurpata est, ut adhortationis vim et significationem accipiat, non deest exemplorum auctoritas: nam ad eandem rationem revocanda sunt verba Menelai Ο 571 Ἀντίλοχον δ' ὤτρυνε βοὴν ἀγαθὸς Μενέλαος· Ἀντίλοχ' . . . εἴ τινά που Τρώων ἐξάλμενος ἄνδρα βάλοισθα, et Κ 111 Nestor Aiacem et Idomeneum arcessi iubet: ἀλλ' εἴ τις καὶ τούσδε μετοιχόμενος καλέσειεν, neque aliter Iupiter dicit Ω 74 ἀλλ' εἴ τις καλέσειε θεῶν Θέτιν ἆσσον ἐμεῖο. Optime igitur verba se habent et vix quicquam reperias quod vituperes. Nihilominus tamen Rhianus εὖ pro εἰ scripsit: v. schol. ἀλλ' εἴ μιν· ἐν τῇ Ῥιανοῦ ἀλλ' εὖ μιν. A. Cum in ceteris verbis Rhianus nihil mutaverit, videtur his versibus remota εἰ particula nudo optativo idem optatum pronuntiari voluisse, quod supra indicavimus; id quod non pugnat cum usu Homerico: cfr. δ 735, ubi Penelope optat haec: ἀλλά τις ὀτρηρῶς Δολίον καλέσειε γέροντα. εὖ autem adverbium aut sic intellexit, ut in locutione εὖ κατὰ κόσμον ponitur, et ut Α 368 dictum est: καὶ τὰ μὲν εὖ δάσσαντο μετὰ σφίσιν υἷες Ἀχαιῶν h. e. ut par et aequum est, aut, quo magis inclino, ut χ 190, ubi Melanthius vinculis colligatur, σὺν δὲ πόδας χεῖράς τε δέον θυμαλγέϊ δεσμῷ, εὖ μάλ' ἀποστρέψαντε διαμπερές et θ 37 δησάμενοι δ' εὖ πάντες ἐπὶ κληῖσιν ἐρετμὰ ἔκβητε. Iam si quaeras, cur Rhianus vulgatam lectionem mutaverit, offendisse puto eum in εἰ particula ad optationem significandam posita; Homerus enim aut nudum optativum aut εἴθε sive αἴθε aut εἰ γάρ sive αἲ γάρ et alia ponere solet, sed solius εἰ particulae sat rarus

usus est, cum praeter exempla tria modo allata nulla inveniantur. Hanc fuisse Rhiani offensionem etiam hoc est gravissimum argumentum, quod Aristarchus huic versui diplen[40]) ascripsit et apodosin καλῶc ἂν ἔχοι subaudiendam esse dixit; cumque grammaticus hic sagacissimus rectissime iam eam protulerit explicationem, quae enuntiationibus, quae optatum significent, plerisque omnibus adhibenda sit, non est cur Rhianeae lectionis hoc loco patrocinium suscipiamus.

18 Υ 331. Aeneas cum Achille congressus sine dubio interfectus esset, nisi Neptunus Achillis oculorum acie occaecata illum celeriter in altum sublatum abegisset. Deinde deus audaciam illius vituperat eique dissuadet, ne umquam cum Achille invicto deisque carissimo confligere animum inducat. Hanc orationem exorditur versus ille frequentissimus:

καί μιν φωνήcαc ἔπεα πτερόεντα προcηύδα.

Schol. καί μιν φωνήcαc· παρὰ Ζηνοδότῳ καί μιν νεικείων, παρὰ Ῥιανῷ τὸν καὶ νεικείων. A. Cfr. etiam Cram. Anecd. Paris. III 291 Ζηνόδοτοc καί μιν νεικεΐων ρεῖα νόcτον (sic falso[41]) pro Ῥιανὸc τὸν) καὶ νεικίων προcέφη cod. Townl. De hoc versu, qui quater et quadragies apud Homerum legitur, cfr. Classeni libellum pulcherrimum 'Beobachtungen über d. Hom. Sprachgebrauch', ubi p. 117 sqq. exempla omnia collecta et φωνήcαc participii significationem luculenter expositam invenies. Nihil autem evidentius, quam Rhianum praegresso Zenodoto, qui lectionem

---

40) Schol. ἡ διπλῆ, ὅτι ἔξωθεν προcυπακουcτέον τὸ καλῶc ἂν ἔχοι· εἰ αὐτὸν ἀνελόντεc ἀεικιcαίμεθα, καλῶc ἂν ἔχοι. καὶ ἐν Ὀδυccείᾳ «ἀτὰρ πελέκεάc γε καὶ εἴ κ' εἰῶμεν ἅπαντας ἑcτάμεν.» A. (Versus est φ 260, quem Aristonicus suo Marte videtur addidisse; sed paulo diversi generis est). Alterum scholion est: εἰ ἀντὶ τοῦ εἴθε. Ἀρίcταρχόc φηcι λείπειν τὸ καλῶc ἂν γένοιτο. V. Veri simile igitur Aristarchum contra Rhianum hoc loco diplen posuisse.

41) Rhiani nomen in codd. veterum scriptorum saepius depravatum esse Saalius l. l. p. 10 et Meinekius l. l. p. 205 et 206 nonnullis exemplis demonstraverunt. Eius modi corruptiones etiam in scholiis Homericis non raro deprehendimus, nam in editione Dindorfiana, quae codicum variantes scripturas in margine adnotatas exhibet, haec nomina inveni, in quae Ῥιανόc perperam transformatum est: ἀριανόc α 95. 124. 279. γ 24. δ 12. ι 491; ἀρειανόc γ 178. δ 158. ε 393; ἠριανόc ε 296; ἄρινοc α 95.

suam ex ς 9 sumpsit, pro vaga illa formula, quam oratio cuiuslibet argumenti sequi potest, substituere maluisse locutionem, qua quo sensu Neptuni verba dicta essent, statim indicaretur; ipse vero hausit ex Ψ 438 τὸν καὶ νεικείων προςέφη Ξανθὸς Μενέλαος, quem versum etiam magis imitatus est, si codici Townleiano fidem habere licet, secundum quem legisse videtur τὸν καὶ νεικείων προςέφη ἔπεα πτερόεντα. Simile est versus initium ρ 74 τὸν καὶ Πείραιος πρότερος πρὸς μῦθον ἔειπεν. Particula autem καί quid his locis valeat, recte indicavit Duentzerus, qui ad Ψ 438 inter se opponi dixit et adlocutionem et verbum quod antecessit μεθέηκεν ἐλαύνειν (v. 434): consimili modo nostro loco Neptunus Aeneam non tantum servavisse, sed etiam obiurgavisse dicitur. Ceterum Duentzerus, quamquam Zenod. p. 132 Zenodoto assentiendum esse contendit, id quod probavit postea etiam Maur. Schmidtius 'Aristarchisch-Homerische Excurse' in Fleckeiseni annal. 1856 p. 89, tamen in editionem suam recipere eius lectionem dubitavit.

Ω 85. Iris a Iove ad Thetidem missa in frequenti dearum 19
maritimarum coetu eam Achillis filii fatum deflentem invenit:

ἡ δ' ἐνὶ μέςςῃς
κλαῖε μόρον οὗ παιδὸς ἀμύμονος, ὅς οἱ ἔμελλεν
φθίςεςθ' ἐν Τροίῃ ἐριβώλακι, τηλόθι πάτρης.

Schol. ἐν τῇ κατὰ 'Ριανὸν ὃς τάχ' ἔμελλεν. A. Primo aspectu fortasse credideris Rhianum ut a scriptura tralaticia recederet, hiatu adductum esse, qui est inter οἱ et ἔμελλε — de qua re cfr. I. La Rochii libellus 'über den Hiatus und die Elision cet. bei Homer, Wien 1860' p. 24 —, sed mihi quidem magis probatur, eum sententiae huius loci succurrere eamque melius et aptius exprimere posse sibi visum esse. Neque enim ideo Thetis lacrimat, quod filium suum ad Troiam procul a patria periturum esse sentit; quod cum iam multo ante sciret, quam hoc bellum susciperetur, iam dudum deplorare poterat praematuram mortem, quam Achilles subiturus erat; sed cum decimo anno belli Hectore occiso Troiam mox exstinctum iri haud ignoret et supremum diem filio prope instare animo praesagiat, tanta maestitia afflicta est, ut funestum illud tempus lamentetur, quo Achilli e vita discedendum erit. Hanc igitur ob causam τάχα (*mox*) scripsit, utpote quo aptissime explicaretur, cur hoc

potissimum tempore Thetis id conquereretur, quod eventurum esse dudum cognovit.[42])

20 Ω 584. Achilles Priami adventum exspectans ancillas Hectoris corpus turpatum lavare et ungere et e patris conspectu amovere iubet, ne is filii specie permotus ira exardescat:

μὴ ὁ μὲν ἀχνυμένῃ κραδίῃ χόλον οὐκ ἐρύcαιτο
παῖδα ἰδών, Ἀχιλῆι δ' ὀρινθείη φίλον ἦτορ
καί ἑ κατακτείνειε, Διὸc δ' ἀλίτηται ἐφετμάc.

Schol. Ῥιανὸc κόλον, οἱ δὲ κόπον. ἄμεινον δὲ γόον, ἵνα μὴ ὑπερπαθήcαc καταράcηται Ἀχιλλεῖ. V. Quod hic Rhiano tribuitur κόλον cum commodo intellectu prorsus destitutum sit, ab eo profectum esse putari nequit, praesertim cum codicem V etiam aliis locis multis vitiatum esse constet; praeterea etiam κόπον, quod alii dedisse feruntur, idoneum est, quod suspectum habeas, nam cum apud Homerum non legatur, tum vero plerumque sensu passivo lassitudinem indicat, uno in versu, qui huc pertinere videtur, Aesch. Suppl. v. 209 numero plurali de plangore illo dictum est, quo antiqui homines maerorem suum designare solebant. Sed ut ex hac iudicii difficultate nos expediamus, reliqua quae ad hunc versum tradita sunt scholia in auxilium vocemus. Et Didymus quidem adnotavit: ἔν τιcι κότον οὐ κατερύκοι· ἄμεινον δὲ χόλον. A; ad Herodianum referuntur haec: χόλον· Ἡρωδιανὸc γόον γράφει. ποῖον γὰρ οὗτοc εἶχε χόλον, εἰ μὴ μᾶλλον γόον; B. Ex his patet, Aristarchi auctoritate vulgatam esse lectionem χόλον, cum alii κότον, quod iram etiam graviorem significat, scribi mallent, Herodianum vero reiectis his lectionibus duabus γόον accommodatissimum esse statuisse. Iam cum is qui scholion codicis V scripsit, et ipse reiectis lectionibus duabus, quas commemoravit, Herodiano suffragetur et vix aliis iisque uberioribus fontibus uti potuerit, facile nascitur suspitio, ΚΟΛΟΝ et ΚΟΠΟΝ depravata esse ex ΧΟΛΟΝ et ΚΟΤΟΝ, quae leguntur apud Didymum, cui quidem suspitioni favere etiam rationem palaeographicam quis est quin videat? Haec vero si recte coniecta sunt, ad

---

42) Ceterum Maur. Schmidtius suspicatur, Rhianum veteres libros secutum esse, Philol. IX p. 433: 'wenn Rhianus τάχ' ἔμελλε las, so fand er es eben in MSS., und Aristarch, der es eben so gut finden konnte, rüttelte nicht daran.'

Rhianum revocandum est χόλον, quod postea Aristarchi assensu comprobatum et plerisque editionibus propagatum est; quod quantopere praestet lectioni Herodianeae vix opus est demonstrare: qualem enim barbarum et humani sensus expertem fingeremus Achillem, si timuisse eum opinaremur, ne Priami flebili lamentatione (γόον) ad iram et caedem senis infelicissimi abriperetur? Praeter haec quae modo exposui licet etiam conicere, pro κόλον in cod. V κότον legendum esse, ut Rhianus fuerit in eorum numero, quos Aristarchus sic scripsisse tradidit: ἔν τιcι κότον, sed tum non habemus, unde κόπον depravatum esse dicamus; itaque illa mihi maiorem veri speciem prae se ferre videntur.

α 95. In deorum concilio Minerva suadet, ut Telemachus 21
Pylum et Spartam mittatur sciscitaturus de patris reditu:

πέμψω δ᾽ ἐc Cπάρτην τε καὶ ἐc Πύλον ἠμαθόεντα,
νόcτον πευcόμενον πατρὸc φίλου, ἤν που ἀκούcῃ
ἠδ᾽ ἵνα μιν κλέοc ἐcθλὸν ἐν ἀνθρώποιcιν ἔχῃcιν.

Schol. ἔχῃcιν· ἐν τῇ κατὰ Ῥιανὸν γράφεται λάβῃcι. H. Huius emendationis rationem reddere perdifficile est, cum quid Rhiano in verbo ἔχῃcιν displicuerit, neque ex scholio neque ex versu ipso certo cognosci possit. Nam quod rei inanimae, cum existimatio bona (κλέοc ἐcθλόν) Telemachum tenere dicatur, quasi personae conscientia et quaedam agendi potestas tribuitur, hoc illum male habere non potuit, cum quia aliis in versibus, ut P 143 ἦ c᾽ αὔτωc κλέοc ἐcθλὸν ἔχει, φύξηλιν ἐόντα, eadem fere verba leguntur, tum quia verbo eo, quod substituit, λάβῃcι hac in re nihil mutatur. Equidem nihil invenio aliud, quam Rhianum putavisse, Telemacho non tam id agendum esse, ut bonam famam haberet, quam ut adipisceretur. Etenim cum eo quidem tempore neque procorum insolentiam coercere conatus neque ut de patris sorte certi quid comperiret, in exteras terras peregrinatus esset, sed sine nomine et a procis contemptus obscuram pueritiam degisset, gloriam sibi non iam comparaverat neque quid de eo exspectandum esset sciri poterat. Sed factis iis quae Minerva fieri voluit, si minus necesse, at veri simile erat futurum esse, ut Telemachus strenui et fortis adulescentis laudem adipisceretur et filius patre dignus haberetur.

α 124. Minerva, Mentae forma induta, ubi domum Vlixis se 22
contulit, a Telemacho hisce verbis salutatur:

χαῖρε, ξεῖνε, παρ' ἄμμι φιλήσεαι· αὐτὰρ ἔπειτα
δείπνου πασσάμενος μυθήσεαι ὅττεό σε χρή·

Schol. ἐν τῇ κατὰ Ῥιανὸν ἄμεινον ἐγέγραπτο ὅττευ σε χρή, ὡς ἀλλαχοῦ (ρ 121) «ὅττευ χρηΐζων.» H (a m. sec.) M. Quo rectius assequamur Rhiani mentem et sententiam, perlustremus pronominis ὅστις genetivi usum Homericum. Atque cum quinquies genetivum scriptum legamus, nusquam οὗτινος aut ὅτου formas reperimus, sed bis καὶ ὅτευ κεχρημένος ἔλθοι ρ 421 et τ 77, ubi aliter legi non posse metrum docet, et ρ 121 ὅττευ χρηΐζων ἱκόμην Λακεδαίμονα δῖαν, ubi propter metricam necessitatem τ littera geminanda erat; — ac fortasse etiam Σ 192 huc referendum est, ubi pro ἄλλου δ' οὔ τευ οἶδα τεῦ ἂν κλυτὰ τεύχεα δύω coniectatum est οἶδ' ὅτευ — duobus reliquis α 124 et χ 377 ὅττεό με χρή vulgo ὅττεο traditum est. Cum igitur praeter hunc versum de quo disceptamus semel tantum ὅττεο feratur idque in versu simillimo, facere non possumus, quin Rhianum etiam χ 377 ὅττευ correxisse pro ὅττεο et hanc genetivi formam ab Homero plane abiudicavisse censeamus. Cuius quidem sententiae haec Rhiano in promptu erant argumenta. Primum enim non nullius momenti est, quod in recentiore dialecto Ionica apud Herodotum ὅτεο nusquam, ὅτου semel II 173 usurpatur — nam I 145 et III 63 in editionibus novissimis correctum est in ὅτευ —, ceteris locis omnibus ὅτευ constanti usu receptum est. Praeterea vocis οὔτις genetivus est οὔτευ: Σ 192. Indefiniti vero pronominis τίς genetivus decies septies est τεῦ Β 388. 390. Ε 897. Ν 252. 559. Τ 262. Ψ 331. γ 348. δ 264. ζ 68. 192. ι 497. ξ 510. ρ 115. τ 109. φ 210. 306, uno in versu τέο scriptum invenimus π 305 καί κέ τεο δμώων ἀνδρῶν ἔτι πειρηθεῖμεν, ubi propter metrum de genuina scriptura dubitare vix licet, quamquam non praetermittendum, quod in scholiis proditur: ὁ δὲ Ἀσκαλωνίτης ἐτεοδμώων, τῶν ἀγαθῶν θεραπόντων ἢ τῶν ὄντως ἡμετέρων δούλων (schol. HMQ Vind. 56, 133) et ἐτεοδμώων habet etiam Hesych. II 212: quae quidem coniectura vix facta esset, nisi insolens genetivi forma suspitionem movisset. Quibuscum convenit usus Herodoti, qui uno excepto loco I 58 ἀπὸ σμικροῦ τεο semper τεῦ praetulit. Ex his rebus quamquam non audeo concludere Rhiano obtemperandum et ὅττεο genetivum ut ab Homero alienum exterminandum esse, hoc tamen concessum

velim, illum non temere id statuisse, sed emendationem eius ex accurata et attenta manavisse dialecti epicae observatione. Atque hanc ob causam illud ἄμεινον ἐγέγραπτο, quod scholion exhibet, haud scio an ad Aristarchi auctoritatem revocandum sit.

β 152. In contione Ithacensium, dum Telemachus et pro- 23
corum principes inter se altercantur, Iupiter, ut Telemachi orationi fausto omine annuat procisque perniciem portendat, duas aquilas mittit, quae super contionem paulisper versatae dextrorsum avolant:

ἐc δ' ἰδέτην πάντων κεφαλάc, ὄccοντο δ' ὄλεθρον
δρυψαμένω δ' ὀνύχεccι παρειὰc ἀμφί τε δειρὰc
δεξιὼ ἤιξαν διά τ' οἰκία καὶ πόλιν αὐτῶν.

Schol. ὄccοντο· ἐν τῇ Ῥιανοῦ ἔccατο, ἀντὶ τοῦ ὄccαν καὶ κληδόνα ἐποίουν. H. De verbi ὄccεcθαι origine et vera significatione non opus est disputare, cum iam ab Aristarcho recte perspectum sit id non ducendum esse ab ὄccα, ut significaret *dicere* vel *augurari*, sed ab oculis (ὄccε) potius et indicare *oculis videre* et per translationem *animo videre:* v. Lehrsium Arist. ed. II p. 87; praeterea cfr. Buttmannus lexil. I p. 21, Lobeckius rhemat. p. 257, qui tamen utriusque vocabuli principia non diversa fuisse putat, G. Curtius etym. graec. pp. 407. 607. Hoc loco maxime interest eruere, quid Rhianum offenderit, ut inde quid scripserit coniciamus: nam quod traditum est ἔccατο labem contraxisse et per se patet et dudum intellectum est. Iam vero scimus fuisse qui ὄccεcθαι ab ὄccα derivarent eoque errore efficerent, ut Aristarchus genuinam originem eius verbi patefaceret: quo in numero potest Rhianus fuisse videri, cum lectio ab eo substituta Didymo interprete idem valeat atque ὄccαν καὶ κληδόνα ἐποίουν. Sed cum verbi ὄccεcθαι, cuius praeter participium praesentis (Α 105. Ξ 17. Ω 172. α 115. υ 81) et imperfecti formas (ὄccετο κ 374. c 153 et ὄccοντο C 224. β 152) tempora reliqua ab Homero non usurpata sunt, aliam formam, quae et sententiae et metro satisfaceret, eligere non posset, simile verbum aliud, quod suam cum ὄccα affinitatem et significationem a Didymo explicatam aperte declararet, ab eo positum esse probabile est. Atque hoc quidem Porson coniecit ὄccαντο esse, suffragante Maur. Schmidtio, qui in Fleckeiseni annal. 1856 p. 95 Porsonis emendationem probavit et ad hanc Rhianeam scripturam

Hesychii glossam ὀccᾶcθαι· κληδονίcαcθαι recte revocare sibi visus est. Et profecto κληδονίcαcθαι illud egregie congruit cum Didymi interpretatione, sed frustra quaeras, qui fieri possit, ut ὄccαντο descendat ab ὀccᾶcθαι. Nihil aliud, si quid video, relinquitur, quam ut mutato accentu apud Hesychium ὄccαcθαι corrigamus: tum Rhianus novum verbum ὄccαμαι procudit, cuius imperfectum legitimum est ὄccαντο. Quamquam si nolumus Hesychii glossam mutare, ut Porsonis coniecturam retineamus, etiam alia emendandi vià patet: dum modo enim ὀccᾶcθαι ab Hesychio recte traditum sit[43]), potest pro ἔccατο imperfecti singularis ὀccᾶτο reponi sensu passivo, ut ὄλεθρος subiecti locum teneat. Sed cum tantis huic rei tenebris offusis verum dispicere non liceat, in ambiguo eam relinquere consultius arbitror.

24 β 241. In eadem contione postquam Halitherses procis exitium auguratus et Ithacenses adhortatus est, ut quo modo procorum superbiam coerceant deliberent, postremo etiam Mentor, Vlixis amicus, contionatur et gravibus verbis cives reprehendit, quod otiosi sedeant, nec quicquam agant, ut paucos procos compescant:

239 νῦν δ' ἄλλῳ δήμῳ νεμεcίζομαι, οἷον ἅπαντες
ἧcθ' ἄνεῳ, ἀτὰρ οὔ τι καθαπτόμενοι ἐπέεccιν
παύρους μνηcτῆρας κατερύκετε πολλοὶ ἐόντες.

Cui statim respondet Leocritus:

243 Μέντορ ἀταρτηρέ, φρένας ἠλεέ, ποῖον ἔειπες,
ἡμέας ὀτρύνων καταπαυέμεν.

Sic olim vulgatum erat editionibus omnibus et hodie quoque in nonnullis, ut in Dindorfiana, legitur, quamquam emendatione certissima iam pridem hunc versum Rhiani perspicacitas ad integritatem reduxit: is enim καταπαύετε pro κατερύκετε v. 241 scripsit verissime, id quod fugisse tam diu homines doctos eo excusatur, quod in codicibus scholiorum ea forma in καὶ παύεται depravata et totum scholion perverse ad καταπαυέμεν in v. 244 relatum erat. Hac demum aetate detexit errorem Imm. Bekkerus et scholion ingeniose in hunc modum restituit: 241. κατερύκετε· Ῥιανὸς γράφει καταπαύετε. καὶ λόγον ἔχει διὰ τὸ καὶ

42) De hac tamen re nunc dubitandum videtur, cum M. Schmidtius in edit. Hesychii abiecerit ὀccᾶcθαι et receperit: ὀccῶcθαι· κληδονίcαcθαι. cum adnot. 'sic codex et Vossius, ὀccᾶcθαι Mus.'

τὸν μάντιν εἰπεῖν «φραζώμεcθ' ὥc κεν καταπαύcομεν, οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ παυέcθων» (v. 168) καὶ τὸ «ἡμέας ὀτρύνων καταπαυέμεν» (v. 244). HMQS. Quae emendatio cur omni laude digna sit, cum ex causis in scholio ipso a Didymo allatis evidenter pateat, mitto argumentis demonstrare; satis est addidisse eam non solum a Nitzschio erkl. Anm. zur Od. I p. 100 approbatam, sed praeter Bekkerum nunc etiam a Faesio, Ameisio, Duentzero, La Rochio receptam esse.

β 311. Telemachus Antinoo, qui eum adhortatus est, ut 25
missis curis omnibus cum procis edat et bibat, respondet:

> Ἀντίνο', οὔ πωc ἔcτιν ὑπερφιάλοιcι μεθ' ὑμῖν
> δαίνυcθαί τ' ἀκέοντα καὶ εὐφραίνεcθαι ἕκηλον.

Hic lectionem, quam hodie omnes fere exhibent editiones, ἀκέοντα a Rhiano primo propositam esse nunc demonstrat scholion a Cobeto emendatum, quod antea sic corruptum erat, ut plane contrarium doceret futtilemque lectionem ἀέκοντα Rhiano tribueret. Quam quidem rem omittere potuissem, nisi La Rochius in Odysseae editione emendationem Rhianeam in controversiam adduxisset et de ea satis constare negasset; quare necesse est huc ascribam scholion cum Dindorfii adnotatione: «ἀκέοντα· οὕτω γράφει Ῥιανόc· γράφεται δὲ καὶ ἀέκοντα. — Ἀκέοντα: Sic M in textu. Ex quo sequitur, quod in scholio scriptum est γράφεται δὲ καὶ ἀκέοντα mutandum esse in γράφεται' δὲ καὶ ἀέκοντα, ut ego feci cum Cobeto. Eadem in H annotatio esse videtur, de quo sic refert Porsonus: 'ἀκέοντα ῥιανὸc γράφει ἀέκοντα, sed ἀκέοντα citatur etiam in scholiis (320).'» Idem censuerunt Bekkerus et Maur. Schmidtius, qui Didymi p. 189 scholion ex H desumptum verbis commate distinctis hoc modo scripsit: ἀκέοντα Ῥιανὸc γράφει, ἀέκοντα. Iam hoc quidem primo aspectu elucet, si praeter H testimonium nullum exstaret, scholion sic intellegendum esse, ut ante Cobetum a Buttmanno intellectum est; porro La Rochio concedendum est, quoniam in M ἀκέοντα falso bis scriptum sit et in alterutro a librario necesse sit peccatum esse, posse etiam iudicari prius ἀκέοντα vitiatum esse, alterum recte se habere. At sic hanc rem diiudicare vetamur, cum non modo M in textu habeat ἀκέοντα, sed etiam — si recte interpretor lectiones varias ab illo enotatas — HLQ in textu ἀέκοντα praebeant: inde enim consequitur, ut scholii M lemma sit ἀκέοντα

eademque lectio in scholio H Rhiano tribuatur; hoc autem scholion codicis H fortasse mutilatum est et intercidit mentio aliorum, qui ἀέκοντα praeoptaverunt. Itaque Rhiano debetur lectio illa aptissima, quam nullo contradicente tueri et commendare nunc supersedere possum.

26 γ 24, ubi Minerva Telemachum commonet, ut strenuum se praestet et confidenter ad Nestorem accedat, ille cum iuvenili pudore se infacundum esse ait nec scire, quo modo senem venerandum adloquatur:

αἰδὼς δ' αὖ νέον ἄνδρα γεραίτερον ἐξερέεσθαι.

Schol. αἰδὼς δ' αὖ νέῳ ἀνδρί· οὕτω γράφουσιν οἱ κατὰ Ῥιανόν. H M. Pro οἱ Maur. Schmidtius Did. p. 189 αἱ maluit, de qua locutione vide p. 23, sed haud scio an οἱ κατὰ Ῥιανόν significare possit Rhianeam lectionem ab aliis quoque grammaticis approbatam esse, quae quidem interpretatio fortasse praesidii aliquid habet ex ultimis verbis scholii ad Ο 119 ascripti: τινὲς ἔγραψαν νέῳ ἀνδρί. Eodem scholio[44]) simul aperte indicatur, quae Rhiano mutandi causa fuerit: voluit enim dativo posito impedire, ne quis falso γεραίτερον pro subiecto acciperet. Haec autem eius ratio scholiastae vehementer displicuit, qui Rhiano crimini dedit, quod illam ambiguitatem dicendi apud Homerum non inauditam esse nesciret, idemque statuit Nitzschius adnot. ad Od. I p. 140. Ac recte illi quidem Rhiani mutationem supervacaneam esse dixerunt, nam qui in totius loci rationem et sententiarum conexum probe intenderit, structurae ambiguitate ita decipi non poterit, ut in illum interpretandi errorem incidat; at hoc tamen concessum velim, Rhianum non tam temere egisse, quam utrique visum est: haud iniuria enim provocare poterat ad ν 312, qui versus est inter ipsa documenta ea, quae Nitzschius l. l. attulit: ἀργαλέον cε, θεά, γνῶναι βροτῷ ἀντιάcαντι, ubi Homerus, quamquam

---

44) Versus est Ο 119: ὣc φάτο· καί ῥ' ἵππους κέλετο Δεῖμόν τε Φόβον τε ζευγνύμεν. Scholion: Δεῖμόν τε Φόβον τε· ἡ διπλῆ ὅτι ἀντὶ τοῦ Δείμῳ καὶ Φόβῳ, καὶ ὅτι ἐντεῦθεν ἡ πλάνη γέγονε τοῖc δεξαμένοιc Δεῖμον καὶ Φόβον ἵππων ὀνόματα. εἰcὶ δὲ Ἄρεος υἱοί. τὸ δὲ γένος τῆc ἀμφιβολίας ἔcτιν εὑρεῖν καὶ ἀλλαχῇ· «τὸν δέ τ' [potius δὸc δέ τέ μ'] ἄνδρα ἑλεῖν καὶ ἐc ὁρμὴν ἔγχεος ἐλθεῖν» (Ε 118) καὶ ἐν Ὀδ. (γ 24) «αἰδὼc δ' αὖ νέον ἄνδρα γεραίτερον ἐξερέεcθαι», ὅπερ ἀγνοήcαντές τινες ἔγραψαν νέῳ ἀνδρί. L.

accusativum ponere licebat, dativum tamen posuit, ne orationis ambiguitatem admitteret. Ac Rhianeam lectionem si non coniciendo posita, sed genuina esset, non abiciendam esse cum versu modo significato tum exemplis his a Nitzschio l. l. prolatis Μ 412 ἀργαλέον δέ μοί ἐστι, καὶ ἰφθίμῳ περ ἐόντι, μούνῳ ῥηξαμένῳ θέσθαι παρὰ νηυσὶ κέλευθον (cfr. Υ 356) et Ρ 252 ἀργαλέον δέ μοί ἐστι διασκοπιᾶσθαι ἕκαστον ἡγεμόνων et iis, quae Classenus Beob. cet. p. 141 collegit, planissime evincitur.

γ 178. Nestor de Achivorum in Graeciam reditu narrans 27
secundo vento iter acceleratum esse dicit:

ὦρτο δ' ἐπὶ λιγὺς οὖρος ἀήμεναι· αἳ δὲ μάλ' ὦκα
ἰχθυόεντα κέλευθα διέδραμον· ἐς δὲ Γεραιστὸν
178 ἐννύχιαι κατάγοντο· Ποσειδάωνι δὲ ταύρων
πόλλ' ἐπὶ μῆρ' ἔθεμεν, πέλαγος μέγα μετρήσαντες.

Schol. ἐννύχιαι· αἱ Ῥιανοῦ γράφουσιν ἐννύχιοι. H. Nitzschius l. l. I p. 167 Rhianum ita scripsisse suspicatur, non quo ἐννύχιοι formam communem esse arbitraretur, sed quia versuum meminisset, in quibus nautae, ut γ 10 οἱ δ' ἰθὺς κατάγοντο, τ 202 τοὶ δ' ἀνάγοντο, non naves, ut π 322 ἡ δ' ἄρ' ἔπειτ' Ἰθάκηνδε κατήγετο νηῦς εὐεργής, appellere dicerentur. At haec quo modo homo doctissimus pronuntiare potuerit, difficile est ad intellegendum. Nam ἐννύχιοι hoc loco aut masculini aut feminini generis esse statuere debuit Rhianus. Tertium non datur. Pro masculino autem accipere nullo modo potuit, cum κατάγοντο nisi ad naves (αἱ δὲ μάλ' ὦκα cet.) referri non posse ex eo appareret, quod Nestor in ipsius fatis enarrandis ubique prima persona utitur, veluti in versu insequenti ἔθεμεν dicit, ita ut si nautae cogitarentur, καταγόμεθα dicendum fuerit. Ergo quid restat aliud, quam ut Rhianum putemus reiecisse insolentem formam femininam ἐννυχίη? Quae nullo praeterea apud Homerum loco invenitur, nam Λ 683 ἠλασάμεθα . . ἐννύχιοι προτὶ ἄστυ et Φ 37 ἐννύχιος προμολών (de Achille agitur) masculinum genus positum est. Noluit igitur hac forma amplificari numerum adiectivorum compositorum, quae apud Homerum peculiarem habent feminini generis terminationem: de quibus vide Kruegeri gramm. gr. II § 22, 3, 2. Quod num recte fecerit, ambigi potest: hoc certum est iam primis post Homerum temporibus veteres non putavisse hoc femininum respuendum esse, cuius rei exempla exstant satis

crebra, ut Hesiodi Theog. 10 (de Musis) ἐννύχιαι cτεῖχον, Pind. Pyth. 3, 79 κοῦραι .. μέλπονται .. ἐννύχιαι, Soph. Ai. 1203 ἐννυχίαν τέρψιν, quamquam in eadem fabula 179 ἐννυχίοις μηχαναῖς traditum est, Aristoph. Eq. 1290 ἐννυχίαιcι φροντίcι. Nec alienum est ex Homero afferre quae simillima sunt β 434 παννυχίη μέν ῥ' ἥ γε καὶ ἠῶ πεῖρε κέλευθον et δ 356 ὅccον τε πανημερίη γλαφυρὴ νηῦc ἤνυcεν. Attamen exstitisse videntur, qui Rhiani sententiam amplecterentur, cum codd. ABDL ἐννύχιοι praebeant et in N οι syllaba supra scripta sit.

28 δ 702. Pylum epitheto ἠγαθέη parum apte ornari putavit Rhianus hoc versu:

ἐc Πύλον ἠγαθέην ἠδ' ἐc Λακεδαίμονα δῖαν.

Schol. ἠγαθέην· Ῥιανὸc Ἠμαθίην γράφει. H P. Adiectivum ἠγάθεοc idem valere ac ζάθεοc notum est et inter omnes constat interpretes: cfr. Buttmannus lex. I p. 48, Doederlinus gloss. I p. 57 n. 74, Hartungius part. I p. 350. Itaque constanti usu de urbibus vel locis praedicatur, quae a deis habitari vel eis praeter cetera grata et in singulari eorum tutela ac praesidio esse dicuntur, ut Lemnus insula, quae Vulcano sacrata erat, Β 722. Φ 58 et 79 et Pytho, oraculi sedes, θ 80. hymn. Ven. 2 et Nyseium, Thraciae mons Bacchi sacer, Ζ 133 κατ' ἠγάθεον Νυcήϊον, itemque Cyllene, in quo monte Mercurius natus dicebatur, hymn. Merc. 231. Saepius Pylo Nestoris urbi hoc epitheton inditur, in Iliade semel Α 252, in Odyssea quinquies ἐν Πύλῳ ἠγαθέῃ δ 599, ἐc Πύλον ἠγαθέην β 308. δ 702. ε 20. ξ 180; accedit etiam hymn. Merc. 216. Ceteris locis Pylus appellatur ἱερή φ 108, μήτηρ μήλων ο 226, Νηλήϊοc Λ 681. δ 639, longe vero frequentissime ἠμαθόειc Β 77. Ι 153. 295. Λ 712. α 93. β 214. 326. 359. δ 633. λ 257. 459. ω 152. Nusquam igitur, si excipias φ 108 Πύλου ἱερῆc, deorum cuiusquam sacra esse dicitur: quare veri simile est, hac causa Rhianum motum esse, ut eam ἠγαθέην recte nominari negaret et novum vocabulum fingeret Ἠμάθιοc sive ἠμάθιοc, quod duplici ratione explicari licet: nam aut a nomine fluvii Ἄμαθοc descendit Pylum urbem praeterfluentis, a quo Strabo [45]) etiam ἠμαθόειc adiectivum deduci vult, aut

45) Strabo VIII p. 344: Πύλοc .. ὃν καλεῖ ὁ ποιητὴc ἠμαθόεντα .. εἴτε τοῦ παραρρέοντοc ποταμοῦ πρὸc ἄρκτον Ἀμάθου καλουμένου πρότερον,

derivatum est ex nomine ἄμαθος, ut idem significet atque ἠμαθόεις et poeta in his epithetis variaverit, prout ferebat metri condicio. Ceterum consentaneum est Rhianum non solum in hoc versu, unde exorsi sumus, δ 702, sed in omnibus, quos supra significavimus, ἠμαθίης vel ἠμαθίην substituisse, id quod La Rochius in adnotatione critica editionis Odysseae recte indicavit.

δ 788. De Penelopa curis et timore vexata narrantur haec: 29

κεῖτ᾽ ἄρ᾽ ἄσιτος, ἄπαστος ἐδητύος ἠδὲ ποτῆτος.

Schol. κεῖτ᾽ ἄρ᾽ ἄσιτος· Ῥιανὸς κεῖτ᾽ ἄρ᾽ ἄναυδος, καὶ ἔστιν αὕτη χαριεστέρα ἡ γραφή. H P. Manifesta est causa, qua ductus Rhianus a tralaticia huius versus scriptura recesserit: tollere enim voluit tautologiam, quae molestior ei visa est, quam quae tolerari posset. Ceteri editores secus existimaverunt, et ad defendendam lectionem vulgarem iam Eustathius protulit explicationem eam, ad quam excogitandam haud ita magno opus erat acumine: τὸ ἄπαστος ἐδητύος ἠδὲ ποτῆτος διασαφητικόν ἐστι τοῦ ἄσιτος, id quod Nitzschius probavit et Ameisius in suum usum convertit. Quod num re vera idoneum sit, quo tautologia illa ab omni dubitatione vindicetur, equidem diiudicare nolo, sed penes eos iudicium sit, qui Homericae elocutionis me peritiores sunt; neque vero tantum Didymi auctoritati tribuo, ut in eius commendatione — χαριεστέραν enim dicit lectionem Rhianeam — prorsus acquiescendum esse arbitrer; at hoc certe animadverti volo, sine dubio non casu factum aut fortuitum esse, quod vocabulum ἄσιτος repudiatum illud quidem a Rhiano, quamquam apud scriptores posteros saepius legitur, apud Homerum ἅπαξ εἰρημένον est. Accedit vero, quod ἄναυδος huius loci condicioni mirum quantum convenit. Etenim Penelopa audito procos navem adornasse et nocte proficisci velle, ut Telemachum reducem per nocturnas insidias opprimerent et interficerent, anxietate summa cruciata est et sollicita fuit nec timorem potuit abicere, ne filius in procorum manus incideret; remotis ancillis iacuit in lectulo nec

---

ὃς νῦν Μάμαος καὶ Ἀρκαδιακὸς καλεῖται, ὥστ᾽ ἐντεῦθεν ἠμαθόεντα κεκλῆσθαι· εἴτε τούτου μὲν Παμίσου καλουμένου ὁμωνύμως τοῖς ἐν τῇ Μεσσηνίᾳ δυσί, τῆς δὲ πόλεως ἄδηλον ἐχούσης τὴν ἐτυμολογίαν τοῦ ἐπιθέτου· καὶ γὰρ τὸ ἀμαθώδη τὸν ποταμὸν ἢ τὴν χώραν εἶναι ψεῦδός φασιν.

famem aut sitim sensit, donec defessam dulcis somnus invasit. In pulcherrima hac descriptione animi materni gravissimis curis sollicitati unum illud desideras, quod Rhianus addidit: an potuit aptius poeta, potuit significantius illum describere, quam cum Penelopam non modo cibo et potu, sed omni etiam lamentatione abstinuisse narraret?[46]) Scilicet hoc est insitum naturae humanae, ut in summa tristitia obmutescamus, ut acerbissimus dolor ac luctus quasi linguam teneat et in alta mente repositus delitescat. Et sic Penelopa, ut primum a Medonte praecone tristem nuntium accepit, prae dolore diu loqui non poterat: δὴν δέ μιν ἀμφασίη ἐπέων λάβε (v. 704); deinde vero multo cum gemitu et flebili lamentatione ancillis, quid rei esset, narravit et sacrificio facto precibus auxilium Minervae imploravit. Postremo cum fletu satiata esset et divinae opis confidentia mens paullulum placata et confirmata, in solitudine matris dolorem mutum esse convenit. Neque hoc fugisse Homerum, qui humanos sensus et affectus penitus perspexisset, documenta sunt versus duo, in quibus ἄναυδος usurpatum esse videmus: ε 456, ubi Vlixes e naufragio aegre natando ad Phaeacum insulam pervenisse et viribus exhaustis somno captus esse narratur: ὁ δ' ἄρ' ἄπνευστος καὶ ἄναυδος κεῖτ' ὀλιγηπελέων, κάματος δέ μιν αἰνὸς ἵκανεν. Multo propius vero ad nostri loci similitudinem accedit κ 378, ubi Vlixes a Circe ad cenandum invitatus nec cibum nec potum gustat, gravi maerore afflictus ob infelicem transmutatorum sociorum sortem; quem Circe adloquitur: τίφθ' οὕτως, Ὀδυσεῦ, κατ' ἄρ' ἕζεαι ἶσος ἀναύδῳ, θυμὸν ἔδων, βρώμης δ' οὐχ ἅπτεαι οὐδὲ ποτῆτος; Quos versus si respexeris, nonne fatendum erit, Rhiani coniecturam cum ad rem accommodatissimam tum ab intima Homericae artis cognitione profectam esse?

---

46) Nemo, puto, mihi obiciet, cum Penelopa sola esset, fieri non potuisse, ut loqueretur; nam ut consentaneum est humanae naturae, sic etiam apud Homerum legimus, homines ubi in summo discrimine versentur, deos invocare aut voces lamentabiles effundere vel alia secum ipsis loqui, quamquam nemo qui audiat adsit. Vt ex multis unum afferam exemplum, legas orationem Vlixis cum maris aestu luctantis, quam his versibus poeta exorditur: ε 293 καὶ τότ' Ὀδυσσῆος λύτο γούνατα καὶ φίλον ἦτορ, ὀχθήσας δ' ἄρα εἶπε πρὸς ὃν μεγαλήτορα θυμόν.

ε 253. Describitur ratis confectio, qua Vlixes Ogygiam insulam relicturus est, et singulae eius partes accurate deinceps enumerantur: 30

ἴκρια δὲ στήσας, ἀραρὼν θαμέσι σταμίνεσσιν,
ποίει· ἀτὰρ μακρῇσιν ἐπηγκενίδεσσι τελεύτα.

Schol. ἐπηγκενίδεσσι· οὕτως Ἀρίσταρχος. Ῥιανὸς δὲ ἐπιτανίδες· ἤγουν ταῖς μακραῖς καὶ ἐπεκτεταμέναις. Sic codex P, Buttmannus voluit ἐπεκτανίδες, quod maxime congruere videtur cum Didymi interpretatione, Lobeckius path. elem. I p. 508 ἐπητανίδες, unde Dindorfius ἐπητανίδεσσι in scholiorum textum recepit. De his quid statuam, dubius haereo, atque ingenue fateor, mihi non videri ad liquidum perduci posse, quid Rhianus scripserit quibusque causis adductus sit. Veterum grammaticorum adnotationes copiosas composuit Dindorfius in scholiorum editione, praeterea vide Nitzschium ad h. l. II p. 38. 39, Doederlinum gloss. III p. 284 n. 2397, G. Curtium etym. gr. p. 277, Grashofium d. hom. Schiff p. 10.

ε 315. Tempestate saeva coorta Vlixes fluctibus iactatus et obrutus e rate fracta eicitur: 31

ὣς ἄρα μιν εἰπόντ' ἔλασεν μέγα κῦμα κατ' ἄκρης,
δεινὸν ἐπεσσύμενον, περὶ δὲ σχεδίην ἐλέλιξεν.
τῆλε δ' ἀπὸ σχεδίης αὐτὸς πέσε· πηδάλιον δὲ
ἐκ χειρῶν προέηκε· μέσον δέ οἱ ἱστὸν ἔαξεν
δεινὴ μισγομένων ἀνέμων ἐλθοῦσα θύελλα.

Schol. αὐτὸς πέσε· Ῥιανὸς αὐτὸν βάλε. τὸ κῦμα δηλονότι. ὃ καὶ ἄμεινον.[47]) ἀντιστρόφως δὲ ἡρμήνευσεν. οὐ γὰρ πρότερον

---

47) Haec scholii verba in codice Mediolanensi, ut Buttmannus adnotavit, a v. 315 ad v. 313 aberraverunt et scholio ibi ascripto adhaerent; praeterea post αὐτόν insertum est δέ et mox verba καὶ ἄμεινον omissa sunt, ut totius scholii, quod ad v. 313 ὣς ἄρα μιν εἰπόντ' ἔλασεν μέγα κῦμα κατ' ἄκρης appositum est, verba hunc in modum perperam continuari putanda sint: μέγα κῦμα κατ' ἄκρης· ὡς φαμὲν κατάκρας πόλιν ἑλεῖν. Ῥιανὸς αὐτὸν δὲ βάλε, τὸ κῦμα δηλονότι. Cuius rei mentionem nullam fecissem, nisi Polakio observv. ad scholia in Hom. Odyss. (Lugd. Bat. 1869) p. 41 lubitum esset inde suspicari, Rhianum fuisse inter eos, quos Buttmannus arbitratur formulam κατ' ἄκρης ita divisisse: κατὰ κράς vel κρής. Nam qui fieri potuerit, ut istud suspicaretur, id confiteor me non posse expiscari, cum praeterea nihil invenia-

ἔπεϲεν, εἶτα ἀφῆκε τὸ πηδάλιον. B H P Q. Huius coniecturae duplex cogitari potest causa. Ac primum quidem αὐτόϲ, quod *ipse* significat, male affecit Rhiani iudicium, quia desiderabat quod ei apte opponeretur; at aptissima est et Homeri maxime propria ratio ea, qua inter se opponuntur αὐτὸϲ πέϲε et μέϲον δέ οἱ ἱϲτὸν ἔαξε θύελλα, ut Nitzschius II p. 49 sententiarum conexu recte perspecto indicavit; nec vero quicquam proficitur Rhiani medella, quoniam αὐτόν apud Homerum non idem est ac μίν, sed plerumque *ipse* valet. Altera causa ex verbis in scholio additis cognoscitur. Posito enim αὐτὸϲ πέϲε prius Vlixes procul a navi in mare incidere, tum gubernaculum e manibus dimittere dicitur, cum rerum ordo postulet, ut dimisso demum gubernaculo in mare incidere narretur. Qua repugnantia offensus Rhianus ad coniecturam confugit, sed quam in verbis inesse opinabatur difficultatem haudquaquam sustulit, cum etiamsi audieris τῆλε δ' ἀπὸ ϲχεδίηϲ αὐτὸν βάλε (τὸ κῦμα), Vlixem procul a navi in mare incidentem cogitatione tibi fingas: nam τῆλε voce in principio enuntiati posita efficitur, ut non tam verbi βάλε actionem ipsam, quam actionis finem et eventum animo concipias. Sed ne opus quidem est ulla emendatione; quis enim est quin sponte intellegat, hoc loco id, quod primum et summopere feriat audientis animum et in quo maxime cernatur irruentis undae vehementia, praemitti, cetera, quae simul vel etiam antea evenerint, posteriora narrari ex consuetudine illa loquendi, quam ὕϲτερον πρότερον sive πρωθύϲτερον grammatici appellant? Cuius figurae usus non solum apud Homerum latissime patet, sed adeo graecae linguae familiaris est, ut apud prosae quoque orationis scriptores saepissime inveniatur: de qua re ablegare iuvat legentes ad Classeni commentationem elegantissimam observationibus de Homerica elocutione insertam, qua inde a p. 200 eum usum ex Graecorum sentiendi ratione ingeniose deduxit et persecutus est.

32 Huic loco subiungere placet v 274, ubi Rhianus eandem figuram videtur parum perspexisse: videtur, inquam; nam cum

---

tur, quod ad talem opinionem ansam praebeat. Cur autem illud scholion ad v. 313 demigraverit, in propatulo est: librarius enim aut spatii angustiis coactus erat aut voce κῦμα deceptus scholion ad hunc versum pertinere falso opinabatur.

scholion mendo inquinatum sit, vera eius lectio certo explorari nequit. Sunt autem haec tradita:

τούς (Φοίνικας) μ' ἐκέλευσα Πύλονδε καταστῆσαι καὶ ἐφέσσαι
ἢ εἰς Ἦλιδα δῖαν, ὅθι κρατέουσιν Ἐπειοί.

Ad haec adnotatum est scholion: ἡ Ῥιανοῦ ἀποφάσσαι, ἀποπέμψαι. H, ut nec unde descendat hoc inauditum Rhiani inventum nec cuius verbi in locum substituendum sit sciamus. Felici casu factum est, ut interpretamentum ἀποπέμψαι a Didymo adiunctum non intercideret: unde primo obtutu proclive est suspicari ἀπονάσσαι pro καταστῆσαι reponendum, quod et satisfaciat huic *dimittendi* notioni (cfr. Π 86 et sensu mediali Β 629 ὅς ποτε Δουλίχιόνδ' ἀπενάσσατο, ο 254 ὅς ῥ' Ὑπερησίηνδ' ἀπενάσσατο) et a litterarum ductibus verbi ἀποφάσσαι unius litterulae discrimine differat. At hoc propter metrum fieri non posse elucet — nisi vero ν litteram pronuntiatione geminari volumus — cumque quid offensioni Rhiano fuerit, altero scholio haud obscure indicetur: Πύλονδε καταστῆσαι· ἀντέστραπται. ἐπιβιβάσαι γὰρ τῇ νηΐ καὶ καταστῆσαι ἢ εἰς Πύλον ἢ εἰς Ἦλιδα δῖαν, dubium esse non potest, quin verbum ἐφέσσαι a Rhiano mutatum sit. Hoc enim verbum significat ἐπιβιβάσαι τῇ νηΐ sive, ut in cod. V explicatur, ἱδρῦσαι εἰς τὴν ναῦν (vide etiam lectionem 4 p. 36); cum autem rerum ordo postulet, ut Phoenices in navem Vlixem inponant, priusquam Pylum deducant, fugiendae huius discrepantiae causa Rhianus *dimittendi* verbum substituit. Ac Buttmannus verissime iudicavit hoc nihil aliud esse posse nisi ἀφῆσαι[48]), quod scite admodum et ingeniose invenit Rhianus, cum ad litterarum quoque speciem simillimum sit verbo ἐφέσσαι: vetustis enim elementis Ionicis hoc ΕΦΕϹΑΙ, illud ΑΦΕϹΑΙ exaratum erat. Nihilominus nemo hodie hanc coniecturam, natam illam ab usus pervulgati

---

48) Adnotavit Buttmannus in schol. editione: 'ἀποφάσσαι' non potest quin pro ἐφέσσαι Rhianus voluerit ἀφῆσαι; quae non mala foret lectio, unde tamen quomodo natum sit istud ἀποφάσσαι, equidem non dicam.' Sed nonne hoc satis explicatur librarii oscitantis neglegentia, qui cum insequens vocabulum ἀποπέμψαι cum ἀπό praepositione compositum esset, iam priori verbo eam addidit? Ceterum miror, quod La Rochius in edit. Od. ad hunc locum ἀφεῖσαι dubitanter ascripsit, nam hic infinitivus nullo, quod sciam, loco apud Homerum invenitur.

inscientia, necessariam esse affirmabit. Cfr. quae Ameisius ad h. l. et δ 476. θ 90 recte adnotavit.

33 ζ 10. Nausithous Phaeaces in insulam Scheriam deduxisse ibique novam urbem condidisse narratur:

εἷσεν δὲ Σχερίῃ ἑκὰς ἀνδρῶν ἀλφηστάων,
ἀμφὶ δὲ τεῖχος ἔλασσε πόλει καὶ ἐδείματο οἴκους,
καὶ νηοὺς ποίησε θεῶν καὶ ἐδάσσατ' ἀρούρας.

Schol. θεῶν· Ῥιανὸς θεοῖς. H. Cur dativum Rhianus genetivo anteposuerit, non satis liquet. Cum νηός sive ναός sive Atticorum νεώς nisi de deorum delubris non diceretur, fieri poterat, ut putaret genetivum θεῶν, qui nihil novi addit ad νηούς et cum hoc coniunctus significat id quod vernacula lingua dicimus 'Göttertempel', languidum esse vel adeo redundare, et pium Nausithoi animum, quo non modo sibi suisque, sed etiam deis consuleret, distinctius esse indicandum. Posterorum enim Graecorum more, qui cum colonias deducerent, patriorum deorum cultum in novas sedes transferebant, ille ubi cum suis consedit murumque et domus aedificavit, deis qui pristinae patriae tutelam gesserant, Laribus et Penatibus templa exstruxit et consecravit, ut in nova quoque patria domicilium iis constitueretur. Fortasse Rhianus hunc dativum simul ad ἐδάσσατ' ἀρούρας pertinere voluit, ut Nausithous deis non solum templa exaedificasse, verum etiam ἀρούρας i. e. τεμένη, agros sacros dicavisse diceretur; nisi statuere mavis, eum hanc lectionem ex vetusto exemplari recepisse. Ita certe facillime explicatur, cur genetivum mutaverit, qui ceterorum librorum confirmatur auctoritate nec quicquam habet, quod iure reprehendas.

34 ζ 44, ubi Olympus, deorum sedes, uberius depingitur, legimus:

οὔτ' ἀνέμοισι τινάσσεται οὔτε ποτ' ὄμβρῳ
δεύεται οὔτε χιὼν ἐπιπίλναται, ἀλλὰ μάλ' αἴθρη
πέπταται ἀνέφελος, λευκὴ δ' ἐπιδέδρομεν αἴγλη.

Schol. αἴθρη· Ῥιανὸς αἰθήρ. H P. Cum αἴθρη idoneo sensu non careat neque alius umquam grammaticus dubitationem moverit, primo aspectu credideris, Rhianum haesisse in soni similitudine vocabulorum αἴθρη et αἴγλη in versuum fine positorum et hanc κακοφωνίαν sublatam voluisse; sed si ad notionem et usum eorum attenderis, haud scio an alia eum causa ductum esse tibi persuadeas. Talem enim perquisitionem Rhianum haud omisisse

credibile est, cum etiam alios veteres grammaticos et interpretes, quid discriminis interesset inter ἀήρ et αἰθήρ et οὐρανός, investigare conatos esse sciamus, donec Aristarchus diligenti observatione has quaestiones expediret, cuius doctrinam Lehrsius Arist. p. 164 sq. enucleate explanavit. Huius igitur vestigia secuti exordiamur a voce αἰθήρ, quae locis 24 apud Homerum legitur et a qua αἴθρη derivatum est.[49]) Ac perspicua est explicatio scholiastae Veneti ad B 458: καθ' Ὅμηρον πρῶτος ἀπὸ γῆς ἐστιν ὁ ἀήρ, εἶτα μετὰ τὰ νέφη αἰθήρ, ὃν καὶ ὁμωνύμως τῷ στερεμνίῳ οὐρανὸν καλεῖ. Cum his conspirant quae Hesychius tradit s. v. αἰθήρ· ὁ ὑπὲρ τὰ νέφη τόπος. Αἰθέρος· ἀέρος ἢ τοῦ ὑπὲρ τὸν ἀέρα ὄντος et Steph. Byz. ὁ ὑπὲρ τὸν ἀέρα πεπυρωμένος τόπος. Quare quae a terra in aethera escendunt, aëra percurrere dicuntur: Ξ 288 Somnus in abietem se confert, ἣ τότ' ἐν Ἴδῃ μακροτάτη πεφυυῖα δι' ἠέρος αἰθέρ' ἵκανεν, et invicem T 350 Minerva in terram devolans οὐρανοῦ ἐκ κατέπαλτο δι' αἰθέρος, atque ubi Homerus poetica quadam ὑπερβολῇ utitur ad summam indicandam altitudinem, αἰθήρ eodem modo ponit, quo latini poetae *sidera* ponere solent, ut Ovid. met. VII 61 *vertice sidera tangam*, Verg. Aen. II 222 *clamores horrendos ad sidera tollit*, alia multa: O 686 Aiax σμερδνὸν βοόων naves percurrit: φωνὴ δέ οἱ αἰθέρ' ἵκανεν, Σ 207 ὡς δ' ὅτε καπνὸς ἰὼν ἐξ ἄστεος αἰθέρ' ἱκάνει, ibid. 214 ὣς ἀπ' Ἀχιλλῆος κεφαλῆς σέλας αἰθέρ' ἵκανεν, T 379 ὣς ἀπ' Ἀχιλλῆος σάκεος σέλας αἰθέρ' ἵκανεν, N 837 ἠχὴ δ' ἀμφοτέρων ἵκετ' αἰθέρα καὶ Διὸς αὐγάς, τ 540 ὁ δ' ἐς αἰθέρα δῖαν ἀέρθη, ubi de aquila agitur, quae volatu vel nubes excessit. Sed tamen discrimen intercedit inter αἰθέρα et οὐρανόν: hanc enim superiorem, illam inferiorem partem illius regionis caelestis esse, quae est ultra nubes, haec habes documenta: B 458 ὣς τῶν ἐρχομένων ἀπὸ χαλκοῦ θεσπε-

49) Cfr. Eustathius 1121, 39. 45 ὅτι ἐκ τῆς αἰθέρος γενικῆς γέγονεν, ὡς ἐκ τῆς γαστέρος γάστρη καὶ πατέρος πάτρη. Vocabuli αἰθήρ idem 697, 13 et 982, 34 duplicem profert originationem, cum αἰθήρ ἢ παρὰ τὸ αἴθειν, ὅ ἐστι καίειν καὶ λάμπειν ἢ παρὰ τὸ ἀεὶ θέειν deducendum esse dicat. Quod hausisse videtur ex Aristotele, qui de caelo I 3 Anaxagoram dicit αἰθήρ ab αἴθεσθαι derivasse et ipse sequitur Platonem Cratyl. 410 B: τὸν . . ἀέρα . . ὅτι ἀεὶ θεῖ περὶ τὸν ἀέρα ῥέων, ἀειθεὴρ δικαίως ἂν καλοῖτο. Praeterea cfr. G. Curtius etym. gr. p. 225 n. 302.

cίοιο αἴγλη παμφανόωcα δι' αἰθέρος οὐρανὸν ἷκεν et P 425 cιδήρειος ὀρυμαγδὸς χάλκεον οὐρανὸν ἷκε δι' αἰθέρος ἀτρυγέτοιο, ubi quae inde a terra in οὐρανόν penetrant, per aethera meant; cfr. etiam T 350. Hanc ob causam aether propius abest a terra quam οὐρανός et ab hominibus conspici potest, cum nubes, quae caeli portae appellantur (cfr. Ε 749. Θ 393 cum schol.) disiectae sunt: Π 300 et Θ 558 ἔκ τ' ἔφανεν πᾶcαι cκοπιαὶ καὶ πρώονες ἄκροι καὶ νάπαι, οὐρανόθεν δ' ἄρ' ὑπερράγη ἄcπετος αἰθήρ, et P 371 οἱ δ' ἄλλοι Τρῶες καὶ ἐυκνήμιδες Ἀχαιοὶ εὔκηλοι πολέμιζον ὑπ' αἰθέρι, πέπτατο δ' αὐγὴ ἠελίου ὀξεῖα, νέφος δ' οὐ φαίνετο πάcης γαίης οὐδ' ὀρέων. Simul ex his versibus manifestum est, αἰθέρα cogitari non posse nisi puram, serenam, aeterna luce splendentem, nec nubibus nec imbre nec ventis turbatam, ut Eustath. p. 729, 34 ὁ ὑψηλότατος καὶ φωτὶ λαμπόμενος ἀήρ et 1110, 23, ubi αἰθέρα usurpari indicat ἐπὶ αἰθρίας καὶ καθαροῦ καὶ ἀνεφέλου ἀέρος παρ' Ὁμήρῳ, ἀὴρ δὲ ἡ ἀορασία καὶ cκότωcιc, quibuscum conferre iuvat locutiones sat frequentes ἐκάλυψε δ' ἄρ' ἠέρι πολλῇ (Γ 381) et κατὰ δ' ἠέρα πουλὺν ἔχευεν (Θ 50) et usum adiectivorum notissimorum ἠερόειc, quod est Tartari epitheton Θ 13, ἠεροειδής, quod de obscuro maris colore Ψ 744, de antro tenebricoso μ 80 usurpatur, ἠεροφοῖτιc, qua appellatione Erinys Ι 571 et T 87 describitur: cfr. Doederlinus glossarii I p. 5 sq. n. 6 et 7.[50]) Hinc etiam lux affertur versui Θ 556 ὡς δ' ὅτ' ἐν οὐρανῷ ἄcτρα φαεινὴν ἀμφὶ cελήνην φαίνετ' ἀριπρεπέα, ὅτε τ' ἔπλετο νήνεμος αἰθήρ, πάντα δέ τ' εἴδεται ἄcτρα· γέγηθε δέ τε φρένα ποιμήν cet., ubi per pleonasmum voci αἰθήρ epitheton νήνεμος tribuitur, ut inde non liceat concludere, αἰθέρα etiam ἠνεμόεccαν dici posse. Cui rei non refragatur ο 293 τοῖcιν δ' ἴκμενον οὖρον ἵει γλαυκῶπιc Ἀθήνη, λάβρον ἐπαιγίζοντα δι' αἰθέρος, nam — ut rectissime observavit Lehrsius l. l. p. 170 — 'hoc de industria positum est, ut intellegamus acriter, sed iucunde flantem ventum fuisse caelo sereno navem celeriter impellentem.' Sed quattuor restant versus qui aegre dirigantur ad hanc interpretandi normam ac regulam, cum aether et aër inter se confundi videantur: nam O 20, ubi

50) Cfr. etiam schol. ad Soph. El. 87 «ἰcόμοιρον δὲ γῆς ἀέρα» τὸν cκότον φηcίν, ἵνα τὸ «φάος ἁγνὸν» ἀντιδιαcτέλληται.

Iupiter irabundus Iunonem de poena admonet, qua eam pedibus manibusque vinctam de caelo suspensam fecerit: cὺ δ' ἐν αἰθέρι καὶ νεφέλῃσιν ἐκρέμω, aut aether nubilus esse dicitur aut ad similitudinem Martis, qui ἑπτὰ ἐπέσχε πέλεθρα πεσών (Φ 407), Iunonis statura tam ingens fingenda est, ut ex aethere usque ad nubes pertineat; eadem fere verba legimus Ο 192 Ζεὺς ἔλαχ' οὐρανὸν εὐρὺν ἐν αἰθέρι καὶ νεφέλῃσιν, quod fortasse eo explicatur, quod cum nubes caeli portae sint eiusque aspectum occultent, hominibus sursum spectantibus caelum quasi in nubibus esse vel potius nubibus circumclusum esse videri potest; at quid facies his duobus versibus Λ 54 ἐν δὲ κυδοιμὸν ὦρσε κακὸν Κρονίδης, κατὰ δ' ὑψόθεν ἧκεν ἐέρσας αἵματι μυδαλέας ἐξ αἰθέρος et Π 365 ὡς δ' ὅτ' ἀπ' Οὐλύμπου νέφος ἔρχεται οὐρανὸν εἴσω αἰθέρος ἐκ δίης, ὅτε τε Ζεὺς λαίλαπα τείνῃ? Quos quidem versus iam Aristarchus expeditum iri desperavit et Lehrsius umquam id fieri posse negavit.[51]) — Iam vero cum Olympi cacumina, in quibus dei sempiternam sedem collocaverunt, nubes excedere cogitentur, deos necesse est versari in αἰθέρι: itaque Iupiter ἐν αἰθέρι ναίων in precibus sollemnibus nuncupatur Β 412. Δ 166. ο 522, et quotiescunque dei de caelo in terram descendunt, ex aethere proficisci vel aethera permeare dicuntur: Ο 610 αὐτὸς γάρ οἱ (scil. Ἕκτορι) ἀπ' αἰθέρος ἦεν ἀμύντωρ Ζεύς, Ξ 258 Somnus de Iove irato dicit: καί κέ μ' ἄϊστον ἀπ' αἰθέρος ἔμβαλε πόντῳ, ε 50 (Ἑρμῆς) Πιερίην δ' ἐπιβὰς ἐξ αἰθέρος ἔμπεσε πόντῳ. Atque haec quidem hactenus. Quid vero est αἴθρη, qua voce praeter hunc de quo agitur versum bis tantum Homerus usus est? Hesychius explicat αἰθρία, αὐγὴ εὐδία, ἀὴρ καθαρός (quamquam hoc quidem minus recte, cum sit potius αἰθήρ); eodem modo Eustathius p. 1121, 39. 45 λάμψις, εὐδία, αἰθρία; accuratissime vero et aptissime Lehrsius l. l. p. 170: 'quae hinc (aethere) efficitur claritas, ea est αἴθρη', gravissimo usus

51) Certe Duentzerus quidem non existimabitur hanc quaestionem solvisse iis, quae adnotavit in edit. Iliadis ad h. l.: 'der Dichter unterscheidet die höhere Himmelsluft (αἰθήρ), in welche der Olymp ragt, von der niedern Luftschicht, in welcher die Wolken ihr Wesen treiben (οὐρανός). Die Himmelsluft führt das auch der Erde und dem Meere zukommende Beiwort δῖα, herrlich, wie τ 540. Zeus sendet diese Wolke eben, um einen Sturm am Himmel zu verbreiten.' Quae distinguendi ratio quibus argumentis nitatur, nescio.

testimonio P 646, ubi Aiax Iovem implorans precatur: Ζεῦ πάτερ, ἀλλὰ cὺ ῥῦcαι ὑπ' ἠέροc υἷαc 'Αχαιῶν, ποίηcον δ' αἴθρην, δὸc ὀφθαλμοῖcιν ἰδέcθαι· ἐν δὲ φάει καὶ ὄλεccον cet. Nam cum hoc loco αἴθρη synonymum sit vocis φάοc, contrarium caliginis vel tenebrarum, quibus Achivorum oculi occaecantur, non dubium est quin splendorem indicet eum qui αἰθέροc proprius est vel ab aethere proficiscitur, et idem valeat ac si Aiax Iovem roget: fac ut ὑπ' αἰθέρι pugnemus (P 371). Sed alterum versum Lehrsius non tractavit, qui difficilior est ad interpretandum: de Planctis enim legimus μ 75 οἱ δὲ δύω cκόπελοι· ὁ μὲν οὐρανὸν εὐρὺν ἱκάνει ὀξείῃ κορυφῇ, νεφέλη δέ μιν ἀμφιβέβηκεν κυανέη· τὸ μὲν οὔ ποτ' ἐρωεῖ, οὐδέ ποτ' αἴθρη κείνου ἔχει κορυφὴν οὔτ' ἐν θέρει οὔτ' ἐν ὀπώρῃ. Hic cum rupis cacumen in ipsum οὐρανόν penetrare dicatur, fieri non potest quin aethere eiusque splendore h. e. αἴθρῃ circumfundatur: ergo nisi repugnantiam intolerabilem in his versibus inesse volumus, statuendum est aut cacumen splendere quidem serenitate aetheria, sed prae nubibus perpetuis, quibus media rupes (μιν) obvoluta teneatur, ab hominibus nunquam posse conspici, aut verba οὐρανὸν εὐρὺν ἱκάνει κορυφῇ sic intellegenda esse, ut cacumen non ultra nubes ipsum οὐρανόν tangere, sed usque ad confinium illud nubium et aetheris pertinere ideoque ipsum nubibus coopertum et ab hominum aspectu occultatum esse cogitemus.

Ex his igitur omnibus haec videntur recte concludi: primum αἰθέρα esse aëra altissimum, serenum, splendentem, αἴθρην huius aetheris serenitatem et splendorem; deinde αἴθρην ut accidens a substantia, sic ab aethere separari non posse, sed necessario cum eo coniunctam esse; denique αἰθέρα longo intervallo h. e. nubibus et aëre interiectis a terra disclusam esse nec ullo modo eam contingere, αἴθρην ab aethere longe emanare et nubibus dissipatis et quasi caeli portis apertis usque ad terram pertinere et res terrestres serena luce collustrare. Quas ob causas fatendum est, lectionem αἰθήρ nostro loco non male a Rhiano substitutam esse, quoniam ubi αἰθήρ est, necessario etiam splendor eius h. e. αἴθρη esse debet, et quod deorum domicilium nec tempestate turbari nec imbre aut nive rigari dicitur et αἰθήρ appellatur ἀνέφελοc, id eximie congruit cum iis, quae supra exposita sunt; nec vero ipsi Lehrsio Rhiani lectio non probatur, qui

eam ferri posse concessit, si μάλα *sane* explicares (p. 170 adn.). Simul autem apparet, cur Rhianus non acquieverit in vulgata scriptura αἴθρη. Putabat enim magis accommodatum esse ad deorum maiestatem, si non modo aetheriam claritatem, quae interdum etiam ad terram hominesque pertineret, sed aetherem ipsum, fontem et originem illius claritatis et lucis, in Olympo esse diceretur; et hoc vocabulum αἴθρη eo magis arbitrabatur ab hoc loco abesse posse, cum haec splendoris notio etiam gravius indicaretur verbis λευκὴ δ' ἐπιδέδρομεν αἴγλη. De his autem quidquid iudicaveris, infitiari certe non poteris, etiam hoc loco conspicuam esse Rhiani accuratam Homericae dictionis observationem et scientiam.

ζ 57. Admonita a Minerva, ut ad fluvium vehatur et vestes 35
lavandas curet, Nausicaa patrem, ut sibi currum apparari iubeat, rogat verbis his:

πάππα φίλ', οὐκ ἂν δή μοι ἐφοπλίσσειας ἀπήνην
ὑψηλὴν εὔκυκλον, ἵνα κλυτὰ εἵματ' ἄγωμαι
ἐς ποταμὸν πλυνέουσα, τά μοι ῥερυπωμένα κεῖται;

Schol. ἐφοπλίσσειας· Ῥιανὸς ἐφοπλίσσειαν, οἱ δμῶες δηλονότι. H P. Iure Nitzschius II p. 97 hac coniectura facillime nos carere posse dixit: nam ut ipse Alcinous nullo adiuvante servo currum instruat mulosque submittat, hoc postulare Nausicaam nemo ex lectione vulgata colliget, atque haec breviloquentia, qua quis facere dicitur, quae fieri iubet, tam trita est, ut exempla conquirere opera perdita sit. Quare recte facit Eustathius p. 1551, 29, quod praestare dicit ἐφοπλίσσειας, quamquam arcessita est eius explicatio et mirum in modum artificiosa: τὸ δὲ «ἐφοπλίσειας» γράφεται καὶ «ἐφοπλίσειαν.» δμῶες γὰρ μετ' ὀλίγα κελευσθέντες, ὡς καὶ προεγράφη, ὁπλέουσι τὴν ἅμαξαν. ἔστι δὲ ἀστειότερον κατὰ ἀφέλειαν νεωτερικὴν τὸ «ἐφοπλίσειας.» ὅθεν ὁ γέρων πατὴρ διορθούμενος τὸ ἀφελὲς ἐρεῖ ὅτι δμῶες ἐφοπλίσειαν ἀπήνην, οὐ μὴν ἐγὼ δηλαδή. Quis enim putabit tale corrigendi studium subesse responso Alcinoi? Praeterea videtur in ultimis verbis Eustathii emendandum esse ἐφοπλίσσουσιν ἀπήνην, cum sine dubio afferat patris verba ex versu 69.

ζ 132. Vlixes, qui quamquam nudus est, in puellarum conspec- 36
tum venire non dubitat, cum leone comparatur, qui fame vexatus boum oviumve greges invadere audet:

130 βῆ δ' ἴμεν, ὥςτε λέων ὀρεςίτροφος, ἀλκὶ πεποιθώς,
ὅςτ' εἶς' ὑόμενος καὶ ἄημενος· ἐν δέ οἱ ὄςςε
δαίεται· αὐτὰρ ὁ βουςὶ μετέρχεται ἢ ὀίεςςιν
ἠὲ μετ' ἀγροτέρας ἐλάφους· κέλεται δέ ἑ γαςτήρ cet.

Schol. Ῥιανὸς αὐτὰρ βουςί. P. Noluit Rhianus subiectum iterari; ac profecto omisso illo ὁ nemo subiectum desiderabit, cum leonem intellegi per se perspicuum sit et apud Homerum subiectum, etiam ubi non significetur singulari vocabulo, saepissime variari constet. Verum tamen quid Rhianum moverit, non satis liquet, praesertim cum versum mutatione eius depravari facile dicas; certe versus ceteris pedibus dactylicus inlato spondeo minus numerose cadere videtur. Sed aurium iudicio veteres non nunquam alio quam nos usi sunt, nam habes exemplum simillimum ι 434 κείμην· αὐτὰρ χερςὶν ἀώτου θεςπεςίοιο, quem versum etiam minus volubilitatis habere patet.[52])

37 θ 299. Mars et Venus sollertia Vulcani tam artis vinculis circumclusi sunt, ut effugium non habeant et deorum omnium conspectui et irrisui exponantur:

καὶ τότε δὴ γίγνωςκον, ὅτ' οὐκέτι φυκτὰ πέλοντο.

Schol. πέλοντο· Ῥιανὸς πέλοι γράφει. H. Pro hac scriptura, quae, cum metro plane repugnet, manifesta labe turpata est, Porson coniectando πέλοιτο reposuit, quod si re vera a Rhiano profectum est, is aut verbi numerum pluralem cum neutro genere coniunctum aut indicativum ferri posse negavit. At vehementer mirandum esset, si Rhianum, poetam illum epicum et Homerici dicendi generis peritissimum, fugisset, Homerum nondum teneri lege ea, qua subiectum neutri generis in plurali positum verbi singularem numerum asciscere solet, et metro coactum saepissime pluralem usurpare, de qua re cfr. larga exemplorum copia a Kruegero gr. gr. II § 63, 2, 1 collecta, qua πέλεςθαι verbum

52) Cfr. Maur. Schmidtius 'Arist.-Homer. Excurse' in Fleckeiseni annal. 1855 p. 221: 'Vergleicht man Υ 57 (Γ 18) mit ι 434 κείμην· αὐτὰρ χερςὶν ἀώτου, ζ 132 nach Rhians Lesart δαίεται· αὐτὰρ βουςί, Φ 299 und findet daselbst sogar die Interpunction nach dem ersten Fusse wieder, so wird man wohl nicht zweifelhaft sein, dass an einer guten Anzahl von Stellen, deren Rhythmus uns nicht behagen will, unser Tadel, wenn er den Kritiker trifft, ihn wenigstens nicht als Metriker trifft, sondern vielleicht als zu consequenten Grammatiker.'

plerumque in plurali numero poni docemur. Neque solum hunc versum, sed ceteros quoque locos, qui eandem verborum coniunctionem praebent, Rhianum simili ratione commutavisse necesse esset, veluti Π 128 καὶ οὐκέτι φυκτὰ πέλωνται, ξ 489 νῦν δ' οὐκέτι φυκτὰ πέλονται, υ 223 ἐπεὶ οὐκέτ' ἀνεκτὰ πέλονται et alios, quos videre licet apud Kruegerum gr. gr. II § 44, 3, 8—10 coll. I § 43, 4, 13. Sed fortasse Rhianus opinabatur Homerum singularem numerum non admisisse, nisi ubi metro cedendum esset, hoc autem loco optativo posito metricam hanc necessitatem commode posse evitari. At idem caderet in Π 128, ubi per metrum licet πέληται scribere; deinde vero indicativum huius loci condicioni multo aptiorem esse quam optativum, quo ea verba ex Martis Venerisque sententia dicta esse significentur, quis non videt? Quae cum ita sint, persuadere mihi non possum, illis Rhianum inpelli potuisse causis, ac statuere malo, veram eius scripturam ignorantibus praecisam nobis esse de hoc versu iudicandi facultatem.

ι 491. Vlixes ut primum crudelitatem Cyclopis effugit, tem- 38
perare sibi non potest, quin eum conviciis adloquatur; ille ira commotus immane saxum in mare deicit, ut navis ad litus usque repellatur; vehementissimo remigio cavendum est, ne iterum in potestatem monstri horrendi deveniant. Sed ubi duplo intervallo ab eo distat, Vlixes denuo hostem compellat:

ἀλλ' ὅτε δὴ δὶς τόccον ἅλα πρήccοντες ἀπῆμεν,
καὶ τότ' ἐγὼ Κύκλωπα προcηύδων.

Schol. πρήccοντες· Ῥιανὸς πλήccοντες. M H. Vna litterula scite mutata Rhianus lectionem procreavit haud contemnendam et quam quominus in textum reciperent, novissimi editores gravissima Buttmanni et Doederlini auctoritate prohibiti esse videntur. Buttmannus enim, quem etiam Nitzschius ad h. l. et ad β 429 secutus est, lexilogi vol. II p. 197 quamquam Rhianum speciosam emendationem proposuisse confitetur, tamen cum primitiva et vetustissima vi verbi πρήccειν parum perspecta mutavisset quae mutanda non essent, eam supervacaneam esse contendit. Atque hanc quidem primitivam et genuinam verbi πρήccειν potestatem, epicorum tantum poetarum in monumentis inventam, eam esse dixit, ut πρήccειν plane idem esset ac περαίνειν h. e. *conficere* sive *perficere*. Munivit hanc significationem exemplis his: Λ 552 ὁ δὲ

(sc. λέων) κρείων ἐρατίζων ἰθύει, ἀλλ' οὔ τι πρήσσει et C 357 ἔπρηξας καὶ ἔπειτα, βοῶπις πότνια Ἥρη, quibus insuper addere poterat A 562 πρῆξαι δ' ἔμπης οὔ τι δυνήσεαι, Ω 550 οὐ γάρ τι πρήξεις, [β 191 πρῆξαι δ' ἔμπης οὔ τι δυνήσεται], γ 60 δὸς δ' ἔτι Τηλέμαχον καὶ ἐμὲ πρήξαντα νέεσθαι i. e. re confecta redire, π 88 πρῆξαι δ' ἀργαλέον τι μετὰ πλεόνεσσιν ἐόντα ἄνδρα καὶ ἴφθιμον, τ 324 οὐδέ τι ἔργον ἐνθάδ' ἔτι πρήξει, ξ 197 οὔτι διαπρήξαιμι λέγων ἐμὰ κήδεα θυμοῦ i. e. 'non ad finem perducam malorum meorum narrationem.' De hac igitur significatione haudquaquam potest dubitari. Porro concedendum est, verbo πρήσσειν in hanc sententiam accepto commode explicari non modo eos quos Buttmannus attulit versus Ξ 282 ῥίμφα πρήσσοντε κέλευθον et β 213 οἵ κέ μοι ἔνθα καὶ ἔνθα διαπρήσσωσι κέλευθον, verum etiam β 429 ἡ δ' (scil. νηῦς) ἔθεεν κατὰ κῦμα διαπρήσσουσα κέλευθον, hymn. Merc. 200 εἴ που ὄπωπας ἀνέρα ταῖσδ' ἐπὶ βουσὶ διαπρήσσοντα κέλευθον, Ψ 501 ὑψός' ἀειρέσθην ῥίμφα πρήσσοντε κέλευθον, ν 83 ὑψός' ἀειρόμενοι ῥίμφα πρήσσουσι κέλευθον, hymn. Apoll. 421 ἡ δὲ (scil. νηῦς) πρήσσουσα κέλευθον, hymn. Ven. 67 θοῶς πρήσσουσα κέλευθον, hymn. Merc. 203 πολλοὶ γὰρ ὁδὸν πρήσσουσιν ὁδῖται, Ω 264 et ο 219 ἵνα πρήσσωμεν ὁδοῖο, γ 476 ἵνα πρήσσῃσιν ὁδοῖο, ο 47 ὄφρα πρήσσωμεν ὁδοῖο, quem genetivum propter hanc ipsam verbi vim ac potestatem pro partitivo habendum esse statuo cum Doederlino gloss. II p. 133 et Naegelsbachio adnot. ad Iliadem Γ 15 (p. 340), ubi Autenriethius simul indicavit eos homines doctos, qui aliter sentiunt. Haec autem quid valent ad locutionem ἅλα πρήσσειν? Illi enim versus diversi sunt et probe seiungendi ab eo, de quo nunc agimus. Illis quidem in versibus a verbo πρήσσειν pendent nomina κέλευθος et ὁδός, quae non tantum iter, sed etiam actionem sive eundi sive navigandi indicant, nec dissimilis est v. I 326 ἤματα δ' αἱματόεντα διέπρησσον πολεμίζων: tale enim iter, talis actio, tale temporis spatium perfici sive ad finem perduci potest, at ἅλα πρήσσειν i. e. *mare perficere* quis est qui intellegat? Nonne hoc aeque absurdum est atque ipse Buttmannus absurdum esse dixit, si quis vellet interpretari: 'atque iam bis tantum, *mare facientes*, aberamus'? Vna succurrit interpretatio, qua si quis verbi causa Pontum Euxinum 'perfecisse' dicatur, eum hoc fretum reliquisse et in Propontidem vel etiam mare Aegaeum

intrare cogitemus, sed haec ratio ab hoc loco plane abhorret. Et hoc quoque ferri possit, si dicas δὶς τόσσον ἁλὸς πρήσσοντες ἀπῆμεν, ut sit duplum spatium maris sive iter duplae longitudinis; sed *ipsum mare perficere* recte dici haud concesserim. Nam ut afferam, quae praeterea afferri possunt, Β 785 et Γ 14 μάλα δ' ὦκα διέπρησσον πεδίοιο, Ψ 364 οἱ δ' ὦκα διέπρησσον πεδίοιο, ex his praesidii nihil quaeri potest, primum quod non accusativus localis quem vocant positus est (cfr. Kruegerus gr. gr. II § 46, 1, 2), deinde quod illa notio se movendi vel percurrendi, quam desideramus, non verbo simplici, sed praepositione διά exprimitur; omnia autem verba a Kruegero l. l. collecta motum significant praeter λιλαίεσθαι α 315 et ἔλδεσθαι Ψ 122, quae aliam habent genetivi rationem, et πρήσσειν ὁδοῖο, quem genetivum supra explicavimus. Quapropter hac Buttmanni interpretatione nihil profici cum luculenter appareret, contrariam fere viam ac rationem iniit Doederlinus gloss. II p. 133 n. 621 perficiendi notionem non primitivam, sed derivatam potius significationem verbi πρήσσειν esse ratus; intensivam enim verbi περάω formam dicit περάσσειν sive πρήσσειν esse ac proprie valere id quod 'durchbohren, durchschneiden', ut ἅλα πρήσσοντες idem sit ac κύματα πείροντες et θάλασσαν περῶντες. Quod Ameisius consensu suo probavit. Esto; at vereor equidem, ne vir doctissimus transitum sibi obstruxerit ad significationes quas vocamus derivatas. Qui fit, ut verbum istud, quod de aequore secando proprie dicatur, perficiendi notionem assumat? Intellegimus sane quid sit διαπρήσσειν πεδίοιο, cum quod proprie ad mare pertineat, translate etiam de terra dici possit, sed πρήσσειν κέλευθον vel ὁδοῖο quo modo indicare possit *iter perficere*, difficile est intellectu, difficilius etiam πρήσσειν ἔργον τι, cui cum secandi notione nullum est consortium. Sic igitur res se habet: Buttmanni ratio ceteris versibus explicandis idonea est, huic uni ι 491 ἅλα πρήσσοντες adhiberi non potest; Doederlinus hunc unum versum satis facile et commode expedit, ceteros fere omnes et universum verbi πράσσειν usum, qui postea invaluit, vel artificiis interpretandi usus aegre explicare potest. Ac videtur hanc primitivam significationem nullo alio consilio excogitavisse nisi ut uni versui eam adhiberet; certe nisi is exstaret, vix eam ficturus fuisse putandus est. Cautius de hac re agit G. Curtius etym. gr. p. 246 n. 358, qui περάω

(*vendo*) πιπράσκω πρίαμαι πράσις componit cum πρήσσω πρῆξις πρηκτήρ et in fine addit: 'mit no. 356 (περάω *dringe durch*) ist περάω ursprünglich identisch, erst allmählich vertheilte sich wohl Wandel und Handel auf verschiedene Formen gleiches Ursprungs.' Sed cum apud Homerum nullum supersit huius communis originis vestigium, eo tempore, quo carmina Homerica condita sunt, non solum illa significationum separatio perfecta esse, sed etiam pristinae huius communionis memoria iam diu evanuisse videtur, nam cum apud Homerum verbum πρήσσειν saepissime inveniatur et permultae locutiones ad navigationem pertineant, non credibile est, hoc uno in versu quasi residuum quoddam vetustissimae illius communis significationis servatum esse. His omnibus perpensis non mirabimur, quod Rhianus spreta vulgari lectione posuit πλήσσοντες, quod etiam magis arridebit, si consideraveris, quam apte arduus remigandi labor designetur, quo opus erat, nisi Vlixes in summum discrimen iterum incidere vellet. Proxime enim antecedunt versus, quibus ille se socios hortatum esse narrat, ut naviter strenueque remis incumberent, eosque incumbentes remigavisse: οἱ δὲ προπεσόντες ἔρεσσον. Sic Rhianea emendatio rei describendae etiam plus coloris et lucis affert.

39 Similem in re simili fecit emendationem κ 130, ubi Vlixes a Laestrygonibus paene oppressus socios diligenter remos ducere iubet, quo citius miseram mortem subterfugiant. Socii ei obtemperant:

οἱ δ' ἅμα πάντες ἀνέρριψαν δείσαντες ὄλεθρον.

Haec erat lectio vulgaris, quae etiam codices omnes occupavit praeter DL, qui ἄρα habent, et Didymus in suo exemplari idem legit, ut elucet ex eius scholio: οἵδ' ἅμα· τοῦτο μὲν ἐμφαντικόν. ἔνιοι δὲ γράφουσιν οἵδ' ἄρα πάντες. Καλλίστρατος δὲ καὶ Ῥιανὸς διὰ τοῦ λ οἵδ' ἅλα πάντες. H. Illud ἅμα, quod contra Rhianum Didymus tueri conatus est, cum emphaticum esse diceret, vix aliud quicquam indicare potest quam remiges eodem tempore eodemque ordine remis insurgere et navem inpellere, sed hoc quidem cum per se intellegatur, tum Homerus sicubi verbis exprimit, plerumque hac utitur locutione ἑξῆς δ' ἑζόμενοι, ut δ 580. ι 104. Neque vero attinet id hoc loco verbis efferri, sed Homerus satis habet voce πάντες designasse, cunctos socios et duci dicto audientes et mortis effugiendae studio incensos officio

suo non defuisse. Itaque ἅμα sententiarum conexu non tam necessario postulatur, ut abesse posse negemus, si propter alias causas in hac voce mutari aliquid necesse sit. Hoc autem fieri oportet, cum verbo ἀναρριπτεῖν sine obiecto absolute posito merito offendamur. Nam Eustathius cum p. 1651, 17 dicit: ὅρα τὸ ἀνέρριψαν ἐλλιπῶς λεχθέν· ἀλλαχοῦ δὲ (ν 78) ἐντελῶς ἐγράφη «ἀνερρίπτουν ἅλα πηδῷ», offensionem significat, non tollit, neque Nitzschius neque Duentzerus, qui ex omnibus editoribus nunc solus ἅμα retinuit, cuiquam persuadebunt hanc ellipsin tolerabilem esse, quia mare non posse non intellegi manifestum sit. Huic enim argumento aliquid tribui posset, si eiusdem verbi sic usurpati crebra nobis exempla suppeditarent, velut verbi causa ἐλαύνειν frequentissimum est non adiecto ἵππον (cfr. Kruegerus gr. gr. 1 § 52, 2, 1): nunc cum tria apud Homerum exempla sint, duobus autem in versibus η 328 et ν 78 plene dictum sit ἀναρριπτεῖν ἅλα πηδῷ, non recte videtur insolens haec et dura ellipsis uno loco agnosci posse. Scilicet eadem ratione dicere licet etiam τύπτειν, quod semper obiectum asciscit (ἅλα τύπτειν ἐρετμοῖς), absolute usurpari posse, ubi mare cogitari ex sententiarum nexu et consilio eluceat, ac tali modo vix haberemus, quos fines ac terminos ellipsis usui constitueremus. Quare multo satius duco, cum omnibus fere editoribus recentissimis et cum Kaysero, qui Philol. XVIII p. 665 de hoc versu docte disputavit, Rhiani emendationem probare, quam ἅμα frustra defendere, quod non mirum est iam antiquissimis temporibus ex ἅλα natum esse, cum Λ duobus Α circumdatum facile oculum decipere et cum Μ confundi potuerit.

κ 188. In insulam Circes cum advenissent, Vlixes sociorum contione advocata quid optimum factu esset declaravit: 40

ἦμος δ' ἠέλιος κατέδυ καὶ ἐπὶ κνέφας ἦλθεν,
δὴ τότε κοιμήθημεν ἐπὶ ῥηγμῖνι θαλάσσης.
ἦμος δ' ἠριγένεια φάνη ῥοδοδάκτυλος Ἠώς,
καὶ τότ' ἐγὼν ἀγορὴν θέμενος μετὰ πᾶσιν ἔειπον.

Schol. Ῥιανὸς δὴ τότ' ἐγὼν ἀγορὴν θέμενος μετὰ μῦθον ἔειπον. H. Cum ι 168 sqq. iidem versus eodem ordine legantur, Rhianus sine dubio huic quoque versui eandem mutationem adhibuisse putandus est, nam hi loci non ita inter se differunt, ut quod hic apte positum esse videatur, illic male et perperam dictum

iudicaveris. Ac primum quidem quod in principio versus δή pro καί substituit, id factum est non tam ut apodosis magis insigniretur, quam ut duo enuntiata eiusdem structurae ac formae etiam verborum specie accuratissime sibi responderent, nam cum in priore enuntiato ἦμος particulam in protasi positam δὴ τότε exciperent, easdem voluit particulas in altero poni. Obscurius vero est et minus facile ad indagandum, cur dativo πᾶσιν reiecto μῦθον scripserit. Nam hoc quidem Rhianus cogitare non potuit, Vlixem iniuria dici cunctos socios adloqui, quoniam ι 168 sqq. septuaginta duo periissent proelio cum Ciconibus commisso, κ 188 autem e Laestrygonum portu una ipsius navis incolumis evasisset, ceteris navibus fractis sociisque omnibus interfectis; quam imbecilli enim esset iudicii ignorare eos intellegi socios, quos tum cummaxime haberet, non quos unquam habuisset. Neque vero illud, puto, in causa fuit, quod cum verba ἀγορὴν θέμενος satis perspicue exprimerent cunctos contioni interesse, πᾶσιν per pleonasmum additum esse arbitratus est: haec enim epicae orationis ubertas, si qua est, cui offensioni esse potest? Verum enimvero usum verborum μετεῖπον μετάφημι μεταφωνέω μεταυδάω perlustranti in verborum structura mihi videtur Rhianus haesisse. Nam ubicunque contionari quis dicitur, haec verba composita Homerus ponit aut absolute, ut Η 94. η 155, aut cum dativo personae coniuncta, ut Α 73. β 95 ἄφαρ δ' ἡμῖν μετέειπεν, τ 140 ἄφαρ δ' αὐτοῖς μετέειπον, aut tmesi admissa accusativum rei interponit, ut Ι 623 τοῖσι . . Τελαμωνιάδης μετὰ μῦθον ἔειπεν, κ 561 τοῖσιν ἐγὼ μετὰ μῦθον ἔειπον. In nostro autem versu, ut vulgo legitur, cum tmesin apte statuere non liceat (cfr. Kruegerus gr. gr. II § 68, 50, 5), simplex ἔειπον usurpatum est et πᾶσιν pendet a μετά praepositione, cuius constructionis apud Homerum exemplum novi nullum praeter π 336 κῆρυξ μέν ῥα μέσῃσι μετὰ δμωῇσιν ἔειπεν et θ 433 Ἀρήτη δὲ μετὰ δμωῇσιν ἔειπεν. Similiter cum ingens sit versuum numerus, in quibus τὸν δὲ . . προσέφη vel similia leguntur, non solet dici πρὸς τὸν . . ἔφη. Hanc igitur ob causam Rhianus a vulgata scriptura recessit et μῦθον posuit, quod haustum est ex versibus supra allatis Ι 623 et κ 561 et ad similitudinem accedit locutionis καί μιν πρὸς μῦθον ἔειπεν δ 803. ζ 21. ρ 74. σ 169. ψ 4. Personae autem dativus non desiderabitur, quippe cuius locum obtineant

verba ἀγορὴν θέμενος. Cui Rhiani sententiae postea alii grammatici astipulati sunt, nam, ut Dindorfius ascripsit, in cod. V in ed. Schrevelii servata est adnotatio haec: μετὰ πᾶσιν· ἔνιοι μῦθον, et eandem scripturam exhibent codd. FKRS; quamquam ex his etiam colligi potest Rhianum suam lectionem sumpsisse ex veteribus exemplaribus.

ξ 317. Vlixes in narratione, qua ne ab Eumaeo agnoscatur, 41
se advenam peregrinum esse simulat, varias fortunae vicissitudines expertum, dicit se in terram Thesprotorum pervenisse:

ἔνθα με Θεσπρωτῶν βασιλεὺς ἐκομίσσατο Φείδων
ἥρως ἀπριάτην.

Schol. ἀπριάτην· ἐπίρρημα, ὡς ἄντην, μάτην, ἀντὶ τοῦ ἀπριάτως, ὅ ἐστι προῖκα. B P Q. οὐδὲ χρήματα, ὅ ἐστιν ὡς ἐλεύθερον. B H Q. Ῥιανὸς γράφει ἀπριάδην. H. Idem vocabulum, de quo veteres grammatici saepe multumque disceptantes in diversas sententias abierunt, praeter hunc uno in versu apud Homerum invenitur A 99, ubi Calchas praedicit Apollinem non prius Achivos pestilentia liberaturum esse, πρίν γ' ἀπὸ πατρὶ φίλῳ δόμεναι ἑλικώπιδα κούρην ἀπριάτην, ἀνάποινον. Hic cum de Chryseide agatur, non est cur Apollonii[53]) cedamus auctoritati, quem adverbium intellexisse adnotavit scholiasta: ἵν' ᾖ χωρὶς πριασμοῦ, ἀντὶ τοῦ ἀπριάδην, sed hanc formam ab adiectivo ἀπρίατος deducere licet, ut non modo legitur in Etym. M. 132, 45 ἀπριάτην· ἢ ἐπίρρημα δεῖ ἀκούειν, τουτέστιν ἄνευ πράσεως, ἢ θηλυκῶς ἀπὸ τοῦ ἀπρίατος καὶ ἀπριάτη. πριῶ, πριάσω, πεπρίαται, πριατὸς καὶ ἀπρίατος μετὰ τοῦ στερητικοῦ Α, sed etiam Lobeckius paral. p. 458 et Doederlinus gloss. II p. 136 n. 626 statuerunt; nam de legitima feminini forma dubitari non posse arguunt ἀδμήτη, ἀσβέστη, alia exempla a Lobeckio l. l. et Kruegero gr. gr. II § 22, 3, 1—3 congesta. Neque aliter explicandum est, quod hymn. Cer. 132 legitur: λάθρῃ δ' ὁρμηθεῖσα δι' ἠπείροιο μελαίνης φεῦγον ὑπερφιάλους σημάντορας, ὄφρα κε μή με ἀπριάτην περάσαντες ἐμῆς ἀποναίατο τιμῆς, et Pindarum adiectivum tale intellexisse aperte declarant verba in fragm. 151 (Boeckh.) ἐπεὶ Γηρυόνα βόας Κυκλωπίων ἐπὶ προθύρων Εὐρυσθέος ἀναιτήτας τε καὶ ἀπριάτας ἤλασεν. Et sic

53) Hunc fuisse Apollonium Rhodium conicit Rud. Merkelius prol. ad Apoll. Rhod. p. LXXVI.

Rhianus quoque haud dubie de A 99 sensit, cum nihil eum in hoc versu mutavisse e scholiastarum silentio colligendum sit. Sed versus is, de quo disputamus, obnititur huic interpretationi: nam quoniam Vlixes de se ipso narrat, masculinum autem ἀπρίατον non positum est, nihil restat, quam ut ἀπριάτην pro adverbiali forma habeatur. Haec autem forma repugnat graeci sermonis legibus ac regulis; cfr. Buttmannus gr. gr. max. § 119, 83 (II p. 452) et Lobeckius paral. p. 458, qui dicit: 'pro ἀπριάδην, ut Rhianus scribebat, ἀπριάτην dici posse nullo exemplo comprobatur, quamvis abundante adverbiorum in δην exeuntium copia'; idemque rhemat. p. 192 not. 4 affert Apollonium de adv. 612 τῷ ἤδω τὸ ἤδην παράκειται καὶ ἄδην καὶ παρὰ τῶν εἰς μι βίβημι βάδην, ἵημι ἀέδην καὶ ἀνέδην· ἔδει οὖν παρὰ τὸ πρίαμι (vel potius πρίημι) πριάδην. Neque aliud docet vetus ille grammaticus, cuius doctrina servata est apud Etym. Magn. 133, 17, sed idem praepropero iudicio removere studuit discrepantiam hanc, in qua est omnis difficultas, cum δ in τ mutatum esse affirmare haud cunctaretur: ἀπριάτην· πρίημι, τὸ παθητικὸν πρίαμαι· τὸ ἐπίρρημα ἀπριάδην· καὶ τροπῇ τοῦ Δ εἰς Τ ἀπριάτην. Cfr. Crameri Anecd. I p. 23, 16 ἀπριάτην· πρίημι, τὸ παθητικὸν πρίαμαι, τὸ ἐπίρρημα πριάδην καὶ μετὰ τῆς α στερήσεως ἀπριάδην· ὡς ἵστημι ἵσταμαι στάδην συστάδην, τροπῇ τοῦ δ εἰς τ ἀπριάτην. Rhianus vero tam temere analogiae legem violari noluit, sed ut A 99 adiectivum agnovit, sic hoc loco legitimam adverbii formam recepit.[54]) Attamen eius sententia non probata est nostrae aetatis hominibus eruditis, qui tralaticiae scripturae variis explanationibus succurrere tentarunt. Ac Doederlinus quidem, qui gloss. II p. 136 postquam A 99 adiectivum suo loco esse iudicavit, hic (ξ 317) substantivum finxit ἀπριάτης 'der ungekaufte Sklav', non multos invenisse videtur qui eum sequerentur, neque id mirum: nam haec interpretatio, etsi solius huius versus causa excogitata est, tamen non bene ei convenit, cum servitutis notio ab eo plane abhorreat. An potest ἀπριάτης appellari (h. e. servus non emptus, quem quis dono accepit vel nescio qua ratione

54) Ne Crates quidem ἀπριάτην pro adverbio sumpsit, sed adiectivum ἀπριάτης sensu activo praeditum praeoptavit, unde Apollon. lex. Hom. 39, 28 eum improbat: Κράτης κακῶς γράφει ἥρως ἀπριάτης.

nactus est), si quis, ut Vlixes, a rege benigno hospitio excipitur (ἐκομίσσατο 316), ab ipso regis filia manu sublevatus domum ducitur, vestimentis donatur, ad alium denique regem cum cura et diligentia mittitur (πέμψαι ἐνδυκέως v. 337)? Saltem ὡς particula adicienda erat: 'quasi ἀπριάτης esset'. Multo praestat G. Curtii ratio, qui etym. gr. p. 571 hoc vocabulum forma adiectivum, significatione adverbium esse statuit: feminini enim adiectivi ἀπριάτη accusativum quidem intellegit, sed qui adverbii partes subierit, collatis ἄντην, ἀντιβίην, exemplis aliis, quae Lobeckius paral. p. 363 protulit. Cuius vestigiis novissimi ingressi sunt editores Ameisius et, si recte eius verba intellexi, Duentzerus. Verum de hac re existimatio sua cuique sit: mea non tam intererat quaestionem perdifficilem solvere quam difficultatem ipsam indicare et Rhianum non sine sagacitate et veri sensu egisse demonstrare.

ξ 343. In eadem narratione Vlixes, cum in alto esset, se a 42
perfidis nautis Thesprotis vestimentis exutum et pannis indutum esse dicit:

ἐκ μέν με χλαῖνάν τε χιτῶνά τε εἵματ' ἔδυσαν,
ἀμφὶ δέ μοι ῥάκος ἄλλο κακὸν βάλον ἠδὲ χιτῶνα,
ῥωγαλέα, τὰ καὶ αὐτὸς ἐν ὀφθαλμοῖσιν ὅρηαι.

Schol. 'Ριανὸς ῥωγαλέον. H. Hoc adiectivum commate quod praecedit deleto ad χιτῶνα rettulit. Quod quamquam per metrum fieri licet, tamen criticus noster hic quodam modo a se descivisse putandus est et temere vulgatam scripturam mutavisse, nam duae illae causae, quibus eum inpulsum esse facile perspicitur, non idoneae sunt, quibus nobis persuadeat. Ac priorem causam e metro petiit, quia ultima syllaba vocabuli ῥωγαλέα, quae natura brevis est, in versu producta usurpatur: at huius usus non rara esse exempla, id quod poeta epicus, qui permultos versus condidit, scire poterat, ex iis intellegitur, quae Ameisius ad γ 230 adnotavit. Altera causa in eo posita est, quod orationis concinnitati consulere sibi videbatur, si efficeret, ut non modo ῥάκος, sed etiam χιτῶνα epitheto ornaretur. Sed si hoc ubique efficere voluisset, plurimi versus in Homero mutandi erant, nec tamen omnes tam leni remedio sanasset, nam versui, qui huic est simillimus, ν 434 ἀμφὶ δέ μιν ῥάκος ἄλλο κακὸν βάλεν ἠδὲ χιτῶνα ῥωγαλέα, ῥυπόωντα, κακῷ μεμορυχμένα καπνῷ eandem curationem

adhibere non licuit, cum si ῥυπόων et μεμορυχμένον scripsisset, et metrum violasset et orationis formam reddidisset inconcinnam. Quare haec coniectura, quamvis ferri possit, non digna est, quae editoribus commendetur. Nihilo setius ex Rhiani editione in alias transisse videtur; certe codex Venetus N, quem La Rochius inter praestantissimos numerat, eandem lectionem servavit.

43 ς 386. Eurymacho, qui contumeliosis verbis eum perstrinxit, Vlixes se nec viribus illi nec virtute cedere respondet et minitabundus extrema haec verba addit:

> 384 εἰ δ' Ὀδυσεὺς ἔλθοι καὶ ἵκοιτ' ἐς πατρίδα γαῖαν,
> αἶψά κέ τοι τὰ θύρετρα, καὶ εὐρέα περ μάλ' ἐόντα,
> φεύγοντι στείνοιτο δι' ἐκ προθύροιο θύραζε.

Schol. δι' ἐκ μεγάροιο Ῥιανός. H. Articulo praeposito evidenter ostenditur, τὰ θύρετρα notare ianuam conclavis (μέγαρον), in quo proci commorantur: per hanc ire oportet eum, qui ex aedibus in aulam tendit; θύρα est porta aulae saepimento circumdatae, per quam ex aula foras discedunt, id quod cum alii versus docent, tum α 120; itaque θύραζε φεύγειν idem est ac domo relicta foras fugere. Iam vero quid est πρόθυρον, quod inter τὰ θύρετρα et τὴν θύραν interiectum cogitandum est? Hoc vocabulum Rhianus non falso interpretatus esset, si iam cognitum habuisset quod nunc debemus sobriae et circumspectae H. Rumpfii doctrinae, qui de aed. Hom. I p. 10 accurata disquisitione demonstravit, duo esse πρόθυρα: alterum esse transitum ab aula ad domum (Thürweg), alterum transitum a via ad aulam (Thorweg) et complecti eas quoque viae partes, quae ante forium introitum proxime adiaceant. Rhianus autem vocabuli compositione et nonnullis versibus, ut α 119, innixus solum id spatium, quod extra aulam ante portam est, intellexisse videtur, ut si quis e domo θύραζε fugeret, eum ex aulae porta demum egressum ad πρόθυρον accedere putaret. Sic fieri non poterat, quin discrepantia in hoc versu offenderetur, quam scite et perquam apte coniciendo δι' ἐκ μεγάροιο sustulisse eum concedendum est, quod si antiquitus vulgatum esset, nemo esset qui reprehenderet. Sed cum vulgata lectio non destituta sit commodo intellectu, tum gravior acerbitas inest in fuga ac trepidatione Eurymachi describenda, si totius spatii, quod percursurus est, singulae partes indicantur.

c 420. Amphinomus procos adhortatus, ut postquam liba- 44
verint, domum profecti decumbant, orationi finem inponit his verbis:

τὸν ξεῖνον δὲ ἐῶμεν ἐνὶ μεγάροις Ὀδυσῆος
Τηλεμάχῳ μελέμεν· τοῦ γὰρ φίλον ἵκετο δῶμα.

Schol. Ῥιανὸς δὲ ἐνὶ μεγάροισιν ἔκηλον. H. Aptissima etiam haec quidem lectio ad sensum, cum Amphinomus v. 416 dixerit: μήτε τι τὸν ξεῖνον στυφελίζετε μήτε τιν' ἄλλον δμώων, sed quid Rhianum ad hanc mutationem inpulerit, in obscuro est. Nam tam ineptum eum fingere non licet, ut offensioni ei fuisse opinemur, quod Vlixis domus in versu insequenti Telemachi esse diceretur; neque vero hanc repugnantiam removisset, cum idem Amphinomus in eadem hac oratione v. 417 κατὰ δώματ' Ὀδυσσῆος θείοιο dicat. Quae cum ita sint, iudicium de hoc versu in suspenso relinquendum erit, nisi vetustae editionis auctoritati eum obsecutum esse statuere malumus.

τ 113. Penelopae interroganti quis sit quibusque parentibus 45
oriundus, antequam respondet, Vlixes felicitatem eius ita praedicat, ut cum rege eam comparet, quem dei gloria et bonorum omnium affluentia exornaverint:

φέρῃσι δὲ γαῖα μέλαινα
πυροὺς καὶ κριθάς, βρίθῃσι δὲ δένδρεα κάρπῳ,
τίκτει δ' ἔμπεδα μῆλα, θάλασσα δὲ παρέχῃ ἰχθῦς cet.

Schol. Ῥιανὸς ἄσπετα. H. Etiam hoc loco illud, quod Rhiano scrupulum iniecit, non id est, de quo facile interpretes omnes inter se consentiant. Primum enim ambigi potest, quid in enuntiato τίκτει δ' ἔμπεδα μῆλα subiecti vice fungatur. Interpretes quidem plerique γαῖα tacite subaudiunt ex antecedentibus suppletum; Maur. Schmidtius Didymi p. 210 μῆλα pro subiecto, pro obiecto ἔμπεδα haberi vult, quam interpretationem etiam Vschnerus amplexus est, qui vertit: 'stets wirft Junge das Vieh', quod quamquam a ratione grammatica nihil habet quod vituperandum sit, tamen, cum melior et aptior videatur esse oppositio inter γαῖα et θάλασσα facta, terram equidem intellegere malim. Atque ita etiam Rhianus sensisse videtur, cum ἄσπετα ab μῆλα haud bene separari queat. Deinde vero quid sibi vult ἔμπεδα? Videamus, qualis sit usus eius vocabuli Homericus, quem iam Doederlinus gloss. III p. 252 n. 2340 paucis illustravit. Originem vocabuli

si spectes, ἔμπεδος proprie est ἐν πέδῳ ὤν sive πεπηγμένος, in solo stans sive fixus: itaque de muro dicitur Μ 9. 12 τεῖχος Ἀχαιῶν ἔμπεδον, et de columna Ρ 434 ὥστε στήλη μένει ἔμπεδον, ubi eius synonymon est ἀσφαλέως (v. 436), de Vlixis lecto in olivae trunco condito ψ 203 εἴ μοι ἔτ' ἔμπεδόν ἐστι, γύναι, λέχος. Multo saepius translate dicitur de iis, quae quasi in solo fixa moveri aut mutari non possunt: ut coniungitur cum χρώς Τ 33, ubi Thetis Achilli pollicetur, Patrocli corpus incorruptum, integrum, incolume mansurum esse: αἰεὶ τῷδ' ἔσται χρὼς ἔμπεδος, et cum γέρα Ι 335, ubi ab iis quae sequuntur accipit explicationem: ἄλλα δ' ἀριστήεσσι δίδου γέρα καὶ βασιλεῦσιν· τοῖσι μὲν ἔμπεδα κεῖται, ἐμεῦ δ' ἀπὸ μούνου Ἀχαιῶν εἵλετο: frequenter de hominis robore, voluntate, animo firmo semperque sibi constanti usurpatur, veluti Ξ 468 βίη τέ μοι ἔμπεδος εἴη, λ 393 ἴς ἔμπεδος, Ε 254 ἔτι μοι μένος ἔμπεδόν ἐστιν, Ζ 352. ς 215 φρένες ἔμπεδοι, Λ 813 νόος γε μὲν ἔμπεδος ἦεν, Κ 94 οὐδέ μοι ἦτορ ἔμπεδον, quibus exemplis transitus paratur ad Υ 183, ubi Priami constantia laudatur: ὁ δ' ἔμπεδος οὐδ' ἀεσίφρων. Cum igitur nullum sit exemplum huius vocabuli de animalibus sive proprie sive translate usurpati, nondum expedita est quaestio, quid sit ἔμπεδα μῆλα. Veteres quidem interpretes explicant ἰσχυρὰ καὶ δυνάμενα κατὰ τὸ πέδον ἵστασθαι i. e. pecudes, quae in solo firmiter stare possunt vel quae firma valetudine utuntur, validae, robustae [55]; et sic Doederlinus quoque interpretatur: 'kernfest, gesund.' At vero haec notio parum convenit his versibus, quibus Vlixes regis opulentiam omniumque rerum affluentiam describit: laudat terrae feracitatem, non quia bonas, sed quia varias fruges (πυροὺς καὶ κριθάς) ferat; laudat arbores, non quia praestantes et eximios fructus procreent, sed quia ampla fructuum copia onustae sint; quare nonne epitheton desiderabis, multitudinem quod significet? Hoc autem est illud ἄσπετα, quod Rhianus voluit.

Verum aliam fortasse dixeris interpretationem magis ad sensum accommodatam esse. Nam cum ἔμπεδος etiam ad temporis no-

55) Similiter Eustathius ad h. l. τὸ δὲ ἔμπεδα διαστέλλει τὴν ἀγαθὴν γέννησιν τῶν μήλων πρὸς τὰ ἀμβλούμενα, ἐκεῖνα γὰρ πίπτει νεκρὰ καὶ οὐχ οἷα περὶ γῆν πεσόντα εἶτα ἔμπεδα στάντα ὑποσκιρτᾶν.

tionem traducatur, ut sit id quod *durabilis*, *perpetuus* (cfr. Θ 521 φυλακὴ δέ τις ἔμπεδος ἔστω et θ 453 τόφρα δέ οἱ κομιδή γε θεῷ ὣς ἔμπεδος ἦεν), Ameisius explicavit 'dauerhaftes Kleinvieh', ad quae in editione altera adiecerat: 'die Dauerhaftigkeit der Viehzucht in Ithaka hat selbst durch die Freier nicht vernichtet werden können'; haec autem recte postea missa fecit, nam Vlixis verba non ad ipsius regnum referenda esse, sed in universum dicta latius patere coniunctivi manifesto arguunt. Sed quid significat ista durandi notio de pecudibus dicta? Pecudes aut morbis conficiuntur aut a feris lacerantur aut ab hominibus comeduntur: itaque si in perpetuum durant nec prorsus absumi aut deleri possunt, id aliter fieri non potest, quam quia ingens earum est numerus. Quare etiam haec interpretandi ratio redit ad notionem multitudinis, quam indicat ἄσπετα.

Denique perlustremus Vschneri versionem, qui ἔμπεδα de tempore adverbialiter positum putat, quamquam Homerus sic singulari numero uti solet, ut N 141 ὁ δ' ἀσφαλέως θέει ἔμπεδον, cfr. ν 86 et Π 107 ἔμπεδον αἰέν. Pecudes igitur dicit perpetuo pullos gignere. Esto: at certe non saepius quam aliae aliarum terrarum pecudes, sed ita ut in natura earum situm est. Hac autem in re nihil inest, quo rex, qui propter felicitatem insigni laude extollitur, aliis praestet aut divitiae eius dilucide efferantur. Si vero statuamus, pecudes perpetuo gignere sic dici, ut non omnes eodem tempore gignant, sed aliae alias excipiant, necesse est eas permultas esse, ut etiam hac via ipso rei ductu perveniamus ad istud ἄσπετα, quod quam Homericum sit quamque feliciter a Rhiano excogitatum vel unus versus docet Λ 245 αἶγας ὁμοῦ καὶ ὄϊς, τά οἱ ἄσπετα ποιμαίνοντο.

VI.

Congestis et singillatim pertractatis Rhianeae editionis reliquiis restat ut quae inde cognoscantur ad indolem et rationem artis criticae a Rhiano factitatae recte diiudicandam, breviter complectar et quasi uno in conspectu ponam.

Atque Alexandrinorum quidem criticorum in ordine, temporum ratione habita, eum Rhiano locum assignavimus, qui inter Apollonium Rhodium est et Aristophanem Byzantium, illumque primum post Zenodotum, qui πρῶτος τῶν Ὁμήρου διορθωτής exstitit, Iliadis et Odysseae carmina recognita et emendata edidisse diximus. Iam cum Zenodotus apud homines eruditos, qui tum Alexandriae erant, auctoritate plurimum valuerit, facile exspectaveris Rhianum aut totum se applicavisse ad praeclari magistri exemplum, ut in verba eius iuraret et ea, quibus ille laudem et admirationem consecutus esset, etiam superare studeret, aut ut suam in iudicando libertatem et integritatem testificaretur, doctrinam et rationem eius criticam dedita opera inpugnavisse, id quod Apollonium Rhodium libro πρὸς Ζηνόδοτον pedestri oratione conscripto fecisse veri simile est: cfr. Sengebuschius Hom. diss. I p. 42. Quorum Rhianus neutrum fecit, sed sobrio et moderato iudicio usus modo consensit cum Zenodoto eiusque vestigiis institit, modo ab eo recessit et, ubi iusto fervidius egisse videretur, rationem eius inprobavit. Nam vidimus eum Ξ 295 (4)[56] et Υ 331 (18) nonnulla mutuatum esse ab iis, quae iam Zenodotus praeiverat, eiusdemque ad auctoritatem haud dubie se contulit, cum Ξ 522 (5) et α 124 (22) Ionicis vocabulorum formis restitutis Homerum Ionicae stirpi vindicaret: cfr. Sengebuschius Hom. diss. II p. 64 et 65. Ac praeterea hoc quoque cum eo commune habuit, quod varias editiones antiquas, quas critico ne-

56) His uncinis inclusi numeros eos, quos in capite quinto singulis lectionibus in margine ascripsi.

gotio admovit, nondum diligenter inter se contulisse et pro dignitate earum in censum quendam et ordinem digessisse, sed in diiudicandis lectionibus variis versibusque et genuinis et subditiciis inter se dignoscendis suo ingenio, doctrinae et rerum et dictionis poeticae cognitioni plus quam accuratae et iustae veterum librorum aestimationi tribuisse videtur. Nam diplomaticam quae vocatur fidem, ad quam Aristarchus demum Homericorum carminum textum exigendum esse intellexit et exigere summopere studuit [57]), Rhianus in sua editione curanda ita tantum sectatus est, ut inter quadraginta quinque lectiones, quae eius nomine feruntur, octo ex variis fontibus hauriret, ceteras coniectando inventas suo Marte poneret. Quamquam, quae est scholiorum condicio, minime ignoro hos numeros non vacare ab omni dubitatione: quis enim est qui sciat, num lectiones, quibus scholiastae praeter Rhiani nomen nihil adiecerint, omnes re vera coniecturae sint? quis contendet, si plures lectiones eius ad nos propagatae essent, hanc quam nunc statuimus rationem et coniecturarum et lectionum aliunde susceptarum plane eandem permansuram fuisse? At contra hac re Zenodoto dissimilis fuit et singularem in iudicando firmitudinem comprobavit, quod in universum iudicio temperatiore et multo minus audaci quam ille utebatur et veterum editionum memoriae magis tenax erat, id quod cum ex A 97 (7), ubi Rhianus contra Zenodotum Massiliensem editionem secutus Aristarchi assensum tulit, tum vero ex athetesibus elucet, in quibus grammaticus ille ingeniosissimus inter omnes editores maxime sibi indulsit et iustos fines nonnunquam evagatus est; nam in versibus omnibus a Zenodoto aut eiectis aut obelo apposito damnatis Rhianus non ausus est ei assentiri et ipse non plus quam tribus locis nonnullos versus ab Homero abiudicavit, in quibus quamquam non est cur ei prorsus obsequamur, laudabile tamen est eius studium, quo impedire voluit, ne Homerus secum pugnantia aut supervacanea et languida loqueretur, et uno loco δ 158 sq. (2) praeter cetera etiam Zenodoti argumentis videtur motus esse. [58])

---

57) De Aristarchi rationibus criticis deque Zenodoti ab Aristarcho differentia cfr. Lehrsius Arist. p. 348—386.

58) Hinc patet parum recte iudicare Sengebuschium Hom. diss. I

Ex his apparet Rhianum illius sectatorum in numerum ascribi non posse; neque omnino grammatici munere ita functus est, ut ceteri Alexandrini, qui glossaria Homerica composuerunt, Iliadis et Odysseae dierum computationem instituerunt, de Homeri vita et patria, de geographia eius et multiplici scientia disputaverunt, de recta carminum interpretatione ὑπομνήματα et συγγράμματα ediderunt, denique scholas habuerunt, quibus doctrinae rationem et praecepta discipulis traderent. Sed Rhianus grammaticae artis eam tantummodo partem exercuit, quae in critico officio versatur, quae in studia ut incumberet, eo potissimum videtur adductus esse, quod operam dabat, ut ipse Homeri summi poetae dignitatem et praestantiam recte aestimaret et poeticae elocutionis naturam et leges penitus perspiceret. Et cum Aristophanes et Aristarchus suas Homeri editiones 'scholae atque extra scholam nemini' pararent (v. Lehrsium Arist. p. 361), Rhianus potius 'in elegantiorum hominum usum' Homerica carmina recensuisse putandus est. Etenim in critico negotio conficiendo poetam magis quam grammaticum se praestitit, et quamvis haud uno loco eximiam ingenii aciem et subtilem quandam doctrinam comprobaverit, magis tamen eius iudicii elegantiam, vividum pulchri sensum, denique eas virtutes agnoscimus, quae poetam quam quae grammaticum faciant. Atque ut ipsius carmina emendatae dictionis laude et nativa quadam et amabili simplicitate excellunt, sic in Homeri quoque carminibus recensendis maxime orationis simplicitatem, perspicuitatem, venustatem ita sectatus est, ut simplicissimam quamque structuram ceteris anteponeret, res narratas quam accuratissime et clarissime verbis exprimi nec quicquam in oratione inesse vellet, quod aut leges grammaticas usumve Homericum violaret aut obscuri quid et ambigui haberet aut insolentiae et meditatae doctrinae speciem prae se ferret. Velut Ζ 46 (6). Υ 188 (9). δ 12 (14). ζ 10 (33). ξ 343 (42) verborum structurae

---

p. 47, cum dicat: 'Videtur Rhiani opera posita fuisse maxime in resecandis versibus iis, qui supervacanei (περιττοί) viderentur esse.' Eidem vero affirmanti Rhiani atheteses audacissimas quidem, sed elegantissimas esse meliore iure assentiri licet. Ceterum Sengebuschio iam La Rochius l. l. p. 44 oblocutus est, quamquam is quidem duas tantum atheteses commemoravit, tertiam α 279 (3) omisit.

concinnitatem conciliare, Φ 607 (10). ε 393 (16). Ω 85 (19). ib. 584 (20), α 95 (21). β 241 (24). ib. 311 (25). c 386 (43) sententiam accuratius et aptius et magis perspicue significare sibi visus est; δ 788 (29) orationem molestae tautologiae, Π 59 (8) et γ 24 (26) ambiguitatis nota liberare voluit; Α 553 (11) et Θ 299 (37) verborum cum legibus grammaticis convenientiam desideravit; Α 97 (7). ι 491 (38). κ 130 (39). ib. 188 (40) locutiones insolentes removere et magis Homericas substituere, Τ 41 (12). δ 702 (28). τ 113 (45) aptiora epitheta ponere, Υ 331 (18) orationi plus coloris addere, ζ 44 (34) fortasse κακοφωνίαν tollere studuit. In quibus quamquam interdum ita erravit, ut causis non idoneis nixus traditam orationis formam castigaret, velut ζ 57 (35) ultra quam necesse erat perspicuitati consulere et ε 315 (31). ν 274 (32) inmemor figurae pervulgatae, quam ὕcτερον πρότερον grammatici appellaverunt, naturalem rerum ordinem verbis accuratius indicare voluit aliisque locis arbitrio suo indulsit, ubique tamen quae ipse substituit ea sunt, quibus gratia non desit quaeque si antiquitus scripta essent, facile arriderent; plerisque locis laudabilem epici dicendi generis cognitionem prodidit, et quanta diligentia et animi attentione sententiarum conexum et progressum observaverit, vel una lectio egregia 24 docet, qua versum β 241 foede corruptum certissime sanavit.

Minus autem curae Rhianus iis studiis inpendit, quae ad dialectum, prosodiam, orthographiam, verborum augmentum, similia pertinent, quibus rebus investigandis recteque constituendis Aristophanis demum et Aristarchi sagacitatem et industriam intentam fuisse constat. Attamen ne harum quidem plane neglegens et incuriosus fuit, nam ξ 522 (5) et α 124 (22) eum Ionicas formas praetulisse iam supra monui; Ψ 81 (13). ε 296 (15). β 152 (23). ε 253 (30) vocabula, quae falsa ratione conformata viderentur, removit aut mutavit; Ξ 295 (4) in augmento inusitato offendit, γ 178 (27) et Ξ 317 (41) analogiae strenuum defensorem se praebuit.[59])

59) Hoc loco subiungere placet indicem lectionum earum, quas alii grammatici et editores post Rhianum probaverunt: atque Aristophanes quidem novem lectiones probavit: 1. 5. 9. 11. 12. 13. 14. 15. 16. Callistratus 39, Aristarchus 7. 11. 20. 25, fortasse etiam 22; e re-

Haec fere sunt, quae de natura et ratione artis criticae a Rhiano factitatae cognosci posse arbitrer. Quae si consideraveris, confirmari videbis et explicatius probari cum laudem, qua Wolfius Rhianum ornavit[60]), tum La Rochii verba l. l. p. 44, quibus excepto Aristarcho praestantissimis eum criticis adnumerandum esse praedicavit.

---

centioribus editoribus Imm. Bekkerus in textum recepit 4. 7. 10. 11. 13. 20. 24. 25. 39, paene omnes editores receperunt 7. 11. 20. 25. 39, Duentzerus et La Rochius probaverunt etiam 13.

60) Cfr. proleg. p. 188 not. 57: 'duo vel tria ex his speciminibus habent quod valde displiceat; cetera modestum viri ingenium produnt', nec Wolfius tamen plus quam decem lectiones Iliadis noverat. Ad haec verba Saalius p. 65 Wolfii iudicium quodam modo correcturus addidit: 'scilicet hoc fateamur necesse est (quantum quidem ex locis supra allatis colligere possumus), fuisse eius artem criticam nimis anxiam rationesque in diiudicandis et eligendis scripturis saepius haud sufficientes speciem magis quam veritatem prae se ferre.' Hic nonne una verborum comprehensione duas res eloquitur sibi plane contrarias? Nam qui in arte critica 'nimis anxius' est, is quam rarissime traditam codicum memoriam mutare audebit, gravissimis causis commotus, at non iis quae 'haud sufficiant speciemque magis quem veritatem prae se ferant.'

CONSPECTVS

INDEX VERSVVM

DE QVIBVS HOC LIBELLO DISPVTATVM EST

CORRIGENDA

pag. 15 v. 26 pro largum scr. largam
pag. 22 v. 30 pro λειμῶνοϲ scr. λειμῶναϲ
pag. 31 v. 19 pro Λόκροϲ scr. Λοκρὸϲ
